

R 278

R 278

RATIOCINIVM  
PHILOSOPHICVM  
S V P E R  
LIBERTATE  
INGENII HUMANI  
I N  
PHILOSOPHANDO.


---

O P E R A  
BERNARDI BENYÁK,  
S. P. PHILOS. PROFESS. PVBL. ORD.  
ET IN REGIA SCIENTIARVM VNIV. BVDENSI  
DOCT. COLLEG.

H



E



PESTINI,  
TYPIS ANNAE MARIAE EIZENBERGER.

---

CIO. IO. CC. LXXXIV.



R 278

ЛІТЗЕЧ  
ДОВІДКИ ЗАГРАДНЯХ ФАКТИЧНИХ  
ВИСТАВОВИХ ПРОБЛЕМ



# HUMANISSIME LECTOR!

Quod tibi Libertatis in Philosophando argumentum porrigo, nolim existimes, alienum illud esse ab iis studiorum tuorum institutis, quibus honesta vitae ratio, sana Philosophia, et perfecta morum disciplina te iam deuinxerunt: neque id inducere volo animum tuum, ut, qui quid adhuc recte sensisti, despicerem cepties, vel cogitandi, ac sentiendi libertatem in morum perniciem conuertas eorum exemplo, qui, quoniam hodiernae aetati splendorem, ac decus adlaturos se putant eruditione sua, effunduntur liberalissime in

## P R A E F A T I O.

effroenem audendi licentiam , scribunt non amore ,  
et merito veritatis , sed spe , et desiderio lucelli ,  
quod paucula folia , audacibus , et temerariis ,  
immo saepe calumniosis referta cogitationibus  
promittunt .

In tanta liberarum mentium tempestate fu-  
rentes conuitiorum fluctus placare , ac verae , et  
solidae eruditionis naufragium prudenti libertatis  
usu cohibere , aut saltem mitius efficere cupio ,  
haud ignarus , eum , qui in philosophando pru-  
denter liber est , nec temere , quidquid cogitari  
potest , typis vulgare , nec stolido tacere , quid-  
quid mesius dici , scribiue potest , illud quoque ,  
quod me s'or Boni publici ratio dici , scribiue in-  
bet , pr̄ter , grauiter , et sine conuictiis , at-  
que noīndi cupiditate dicere , scribereque : cauet  
nempe vehementer , ne philosophica cogitandi li-  
bertas aut tamquam omnes humanitatis leges ef-

fra-

## P R A E F A T I O.

*fractura hostium acies, aut tumultuaria inter va-  
rios, ac bene contentos eiusdem Reipublicae ciues  
pestifera lues communem animorum perturbatio-  
nem excitat, atque ita dum bono maximo con-  
sulitur, malum ineluctabile enascatur. Neque  
actatis hodiernae Cynicum ago, bene memor, e-  
re Boni publici esse, ut, cui scientiae cordi sunt,  
multa is pertentet, ac, quae sunt meliora, pro-  
bet, consegeturque.*

*Philosophari, et libertatis in cogitando semi-  
na iacere lubuit, absque eo, ut de susceptis opi-  
nionibus, recto alioquin consilio subactis, inuitum  
te deturbare satagam, immo opellam hinc sapienti  
arbitrio tuo substerno, egregiosque corporis tuis  
auide exspecto, ut laudes, quas ab .. e erudito  
forte iam tulisti, nouis adcessionibus cumulare  
possim, gratularique, in eo Censorem cigitatio-  
num mearum effloruisse, qui editis ingenii, at*

*que*

P R A E F A T I O.

que iudicii monumentis blateronem , aut dicacem  
thrasonem pridem exuit. Ornatui verborum scrupu-  
loſior intentus esse nolui , didici quippe muper  
in familiari Philosophi colloquio : inuoluere fig-  
mentis verborum orationem , est , putamine clau-  
dere nucleus , et obscurare veritatem. Quidquid  
adduco , partim loquentis personae genius , et ad-  
commodata dicendi ratio expressit , partim non-  
nullorum mos ita me loqui iussit , quem dum con-  
citatus subinde calamus sequitur , absit , ut hu-  
manorum officiorum iacturam mediter , immo hu-  
manissimorum Lectorum , et Censorum amicitiam ,  
et benevolentiam impensis flagito.

Scribendam Pestini III. Cal. Iulii , 1784.

RA-


RATIOCINTVM  
PHILOSOPHICVM  
S V P E R  
LIBERTATE  
INGENII HUMANI  
I N  
PHILOSOPHANDO.

СИДИЧА  
СИДИЧА  
СИДИЧА

ПЕЧАТЬ  
ПЕЧАТЬ  
ПЕЧАТЬ

СИДИЧА





## COLLOQVIVM I.

*Explicatur, et stabilitur Libertas in Philosophando.*


---

AMICVS PHILOSOPHIAE.

**F**interuallo dierum aliquot, quibus me apud Vos commorari necessum est, experior; multum ac vehementer aestuare forum vestrum, Amice! conflictu ingeniorum. Intelligo, ab aliis damnari, propugnari ab aliis Libertatem in Philosophando, feruet vtrinque praeclarum disceptandi argumentum; cupio de ea luculentius edoceri, nam ardor disceptantium, sublatusque clamor obtutus aures adeo, ut rationes nec distinguere, nec in memoriam reponere potuerim. Admiratus vehementer sum, praeter omnem eruditissimae Academiae Vestræ morem scholasticas nunc lites apud Vos agitari, nobilissimumque in perficiendis Litteris sen-

A

fum



sum cum incondita quadam verborum tempestate  
conflixisse.

### PHILOSOPHVS.

Vehementioribus id genus concertationibus litterariis locum dare, non est in more nobis possum; redacti nunc ad eas sumus genio, nescio, quorum hominum, quibus noua omnia displicant, nisi e proprio eorumdem cerebro fluxerit nouitas. Stamus pro Libertate Philosophandi forti adeo pectore, ut qui alienam illam a se putauerit, Philosophum is exuisse nobis videatur. Quod edoceri de ea cupias, plurimum places, vt pote, qui conatus nostros minime damnas praecipiti iudicio, eos sequutus, qui quidquid moribus suis, ac vitae institutis consentaneum non est, liberaliter detestantur, tametsi quibus motiuis nitatur, quae ornamenta pariat, quibus meritis commendetur nouitas, ignorent.


### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Habe, obseero, eam in me benivolentiam, ut verim, ac germanum Libertatis in Philosophand sensum, rationesque defensionis intelligam. Est enim argumentum mihi quoque charum, quod nuper animo attentius volui; tametsi multa simul prae oculis haberem, quae me tam a prosequutione cogitationum remouerunt, quam ad tritos, et tae-

taedii plenos Scholarum pulueres reposuerunt,  
quos nunc non nisi vestro vsu, vestraque fultus  
auctoritate possum excutere.

## . PHILOSOPHVS.

Omnem propositionem in clara luce ponit pri-  
mum, ac tum suis muniri rationibus, e re, et  
merito concertationis litterariae esse, scio: expla-  
nabo igitur lubens, quod petis. Non est vocabu-  
lum, quod vario adeo sensu usurpetur, quodue  
sollicitam adeo reddat humanorum ingeniorum vim,  
atque *Libertas*; in quaestione nobis venit eo fo-  
lium sensu, quo exporrigitur ad cogitationes, et  
ratiocinia, constituitque proprie obiectum nostrum,  
et pertinet ad suscipiendas, proponendas, demon-  
strandandasque notiones vi, et pondere motuorum.  
Libertatem hanc hodierna Philosophorum aetas in  
mentibus humanis singulari quadam ratione requi-  
rit. At hic quoque multipliciter consideratur,  
quam sane varietatem notionis ex abusu, iis visi-  
tato manare arbitror, qui tametsi Philosophos se  
dici velint, rationes tamen suas nullo reatu du-  
cunt. Meministi, multis placere audacia elo-  
quendi, scriptis vulgandi, ac palam docendi,  
quidquid innata sibi cogitandi vi effingere potest  
humana mens; velle rursum alios, tunc libertate  
philosophandi gaudere se, quum vitae regulam ad  
imperium passionum exigere possunt; alios deni-




que eo dementiae labi, vt omnem philosophandi libertatem in temerario, et malesano quoscunque proscindendi, et in calamitatem praecipitandi conatu constituant.

Oblectentur varietate hac notionum alii, ego, et Academicī nostri omnes per *Libertatem in Philosophando* intelligimus enunciationem, et prosequitionem cogitationum sola ratione nixam: atque notio haec eousque premi vult propositionem, quaecunque demum illa sit, quousque ratio, et conformitas iudicij cum obiecto mentem rapuerit. Haec humanorum ingeniorum vis adeo cordi est Philosophis nobis, vt eos, qui illam siue auferre, siue praeiudiciis suis coarctare nituntur, id vnicce agere tueamur, vt aut nihil vnuquam comprehendamus, aut, si quidpiam perspexit forte mentis acies naturali lumine illustrata, et sciendi desiderio incjata, cognitum id a nobis esse, negemus, detestemurque ideo, quia multis aliis aliter idem placet, quos sane nec animi candor, nec scientiarum incrementum, nec politissimorum populorum exemplum, nec illustrior iam eruditionis amoenitas a safueto cogitationum, et ratiociniorum iugo liberis reddere potest. Quae profecto iniuria tantum hi est, vt omnia pene scientiarum impedimenta magnitudine sua exsuperare videatur. Quibus vero auctoribus inferri eam putas, amice?

is omnibus, quibus Libertas Philosophandi odio est, quos ego ad eorum hominum genus reuocando existimo, quibus morum integritas, Religionis sanctitas, opinionum vetustas, societatis, cui inserti sunt, instituta, populi consuetudines, ac incredibilis quaedam praeiudiciorum amplitudo curram facebit. His ergo si ab omni morum, ac Religionis periculo immunem esse philosophicam in cogitando Libertatem ostendas, facile obtinueris, vt praestantissimam, vtilissimamque illam rati, thesauri loco amplectantur, neque omnia suo ipsi arbitratu aestiment, aut vnico ducis exemplo iniciati sequantur: praesertim cum et ipsi videant, priscos duces libere semper fuisse philosophatos.

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Idonea haec sunt ad id, vt indecorum putet Philosophus, antiquum scrupulosius imitari morem, et vetustis, semperque iisdem pugnare Scholarum aculeis, quos sane meo etiam iudicio obtundi tandem oportet, ne, postquam scientiis omnibus, atque magnis animis, tot, ac tam graui intulerunt vulnera, vi sempiterna videantur terrege studiosas noscenda naturae mentes. Interim pace tua sciscitabor: nullamne putas fieri iniuriam, dum praecipuis anteactarum aetatum Philosophis id ipsum tribuis, quod vobis haud modico vertitur vitio?




### PHILOSOPHVS.

Ingenitam mentibus humanis libertatem cogitandi defendere, aut ablatam constrictamue reuindicare, ac primis Philosophis, tamquam summum Philosophiae thesaurum donare, quae possit esse iniuria non intelligo: immo grauissimam ipse inusseris maculam honori, et splendori Priscorum, si eos seruili quadam ratione fuisse philosophatos, arbitreris. Non ignoramus, et Socratem ab Archelao, et Aristippum, Platonemque a Socrate, et Aristotelem a Platone discessisse tandem. Neque illud satis perspicio, qui possimus videri, aduersus rigidos hodiernorum Philosophorum Censores pronunciare quidpiam; video ex aduerso luentissime, in id eniti eos, vt e solo recti, ac honesti lumine philosophari nos prohibeant, et, quandoquidem antiquitatis praeiudicium nondum exuerunt, conatus nostros non solum cauillentur, verum etiam in ipso semine suffocare contendant.

Secernimus Libertatem Philosophandi ab ea, cuius obiectum est actionum humanarum cum lege connexio, quae nisi in libera hominis voluntate habuerit rationem, actiones humanas omni merito destitui oportebit. *Libertatis in Philosophando obiectum* sunt cogitationes, et ratiocinia super rebus naturalibus solo lumine naturae instituta, quae quoniam ratione niti debeant, cauendum, ne ab eadem,

eadem, et a principiis ratiocinandi vspiam deficiant. Subinde, quoniam ratiocinia huius modi in rebus vnice naturalibus ad earum causas, et proprietates cognoscendas, vsumque demonstrandum suscipiantur, Philosophum nullius auctoritatis vi tangi oportet, ne metu occupatus id veri loco amplectatur, atque tueatur, quod quidem a veritate alienum esse, tacite intelligit, aduersari tamen auctoritati manifesto videt; illud ex aduerso reiiciat, tamquam falsum, quod veritati consentaneum esse tam lumen rationis suadet, quam stabilitorum in ratiocinando principiorum norma postulat, aduersari nihilominus videt auctoritati, quorun vtrumque euenire solet ibi, vbi nativa mentis in indagandis rerum causis potestas, nescio, quo nutu constringitur. Quamquam, vt, quod sentio, eloquar, nullam auctoritatem eo intentam esse, scio, vt libertatem humanae mentis in cognoscendis rerum naturalium causis, atque scientiis perficiendis constringat; ex quo liquet, et omnem auctoritatem in suo labore stabiliri, et libertatem cogitandi saluam reddi; quae si fortasse ad scelestam viuendi normam, vsuque felici probatam morum doctrinam pessimis ausibus nouandam, et corrupcione dandam deflexit, id haud libertati, verum potius indomitis affectibus, et malesano abusui dandum censemus.




Secernimus libertatem philosophandi etiam ab  
infrunita eorum cogitandi licentia , quos *Liberti-*  
*nos* a libero Religionis , et quarumcunque opinio-  
num delectu sic dictos accepimus . Cum his , vt-  
pote a Philosophy remotis nihil negotii esse debet  
Philosopho , qui nempe optime intelligit , Religio-  
nem summi amoris , et obsequii cultum esse , ei ,  
cui debetur , exhibitum , neque posse nos Deo  
perfectiorem , atque gratiorem exhibere cultum  
eo , quem a nobis ipse desiderat , hunc vero vt  
praestare possimus , cognosci oportet , ergo et ma-  
nifestari ab ipsomet ; quapropter delectus religio-  
nis pro vnicō hominis beneplacito , aut chimacra  
est , aut larua , quae a naturali creaturae in suum  
auctorem officio incautos homines penitus remo-  
uet . Cum hac igitur sentiendi libertate , alioquin  
solido fundamento destituta , philosophandi liber-  
tas confundi nequit , cuius munus est , prudenter ,  
et cum rationis ductu scrutari veritatem in rebus  
naturalibus ; quid enim negotii habeat Philosophy  
cum rebus supernaturalibus ? ad quas quoniam li-  
beraliter , et saepe etiam cum paratissimo , ac summe  
expedito nocendi studio adducant suam in sen-  
tiendo libertatem *Libertini* , non video , quomodo  
censendi sint libertate philosophica vti , haec enim  
occultas rerum causas scrutatur , vt stabilit scien-  
tiam . Veritatem , siue fuerit priscis iam agnita  
temporibus , siue hodie solum nata , siue virum  
cla-

claro, siue obscuro nomine habuerit auctorem,  
maximi facit propter se, non propter fortunas,  
honorem, et fauores Summorum. Conuitia, calu-  
mnia, despectum, arrogantiam, vtpote quae nec  
prudentiae, nec rationis obiectum esse possunt,  
prosperus refugit, et detestatur vel propterea, quod  
Philosophia bonam mentem, bonumque cor for-  
mare confueuerit. Profecto in artibus nocendi,  
vel deterius sentiendi nihil veritatis repererit Phi-  
losophus, quas nimirum ipsa humanitas detesta-  
tur: homo enim non ideo pulcherrimis naturae  
donis, ratione, firmis viribus, potentia, et libe-  
re agendi facultate instruētus est, vt eneruet, op-  
primat, et mille malis terreat ceteros, verum po-  
tius, vt quanto naturae, ac fortunae bonis am-  
plius praestat aliis, tanto magis enitatur ad curan-  
dam eorum felicitatem, finatque beatum viuere  
diem singulos. Atque istud est, quod mihi Liber-  
tatis in Philosophando usum non modo laude di-  
gnissimum, sed etiam vehementer expetendum red-  
didit; hic est vitae humanae thesaurus, cuius stu-  
dium longior Philosophiae exercitatio cordi meo  
iam impressit, incenditque me, vt in arenam defen-  
dendae in cogitando Libertatis descendam, nil veri-  
tus, ne eorum in me odium conuertam, quos amoe-  
nior scientiarum cura, ac veritatis amor incessit.  
Numquid amice, fieri non posse, ait Tu ipse, vt  
ingenia hominum in cancellos quosdam redigantur?

A 5

AMI-





## AMICVS PHILOSOPHIAE.

Manum dare veritati, vetus est animi mei studium. Quamobrem in cancellos, et limites quodam modo constringi humana ingenia non posse, mihi et probatur vehementer, et necessarium esse puto, vt Philosophus magnopere caueat, ne in tenui aliqua cognitionis vmbra delitescat, ac metu errandi compulsus torpeat; immo eniti eum oportet liberrime, vt maiorem siue in scientiis, siue in fortunis, honoribusque perfectionem scrutetur, donec argumentis firmis conuictus intellectus in eo tandem conquiescat, quod et veritate deleget, et vitam consilio, utilitateque moneat. Quem igitur libertatis in philosophando sensum recensui-  
sti, ab eo nullus abhorreo, at nescio, num se-  
natorie decernas: mihi quippe mos Patriae, ac  
eorum praesertim hominum, quorum eruditio in-  
tra conclauq[ue] redacta est, instituta, usus, et vitae  
disciplina fortissimum videntur statuisse praesidium  
aduersus progressionem *Libertatis in Philosophando*.

## PHILOSOPHV S.

Agunt ii aduersus ingens naturae, et Dei be-  
neficium, quo ille tamquam singulari quodam or-  
namento insignitos nos inter omnes creaturas suas  
distinxit, de quo intimus sensus Iuculenter adeo  
nos edocet, vt nulli prorsus dubio locus relin-

qua-

quatur. Quapropter senatorie decernendum est. Enim vero mentes nostras, et cogitationes per immensa interualla circumferimus, quum id collubescit, quin tamen limitem aliquem offendamus, quem superare non possimus, nisi ruditas obicem ponat ratiociniis nostris. Iam vero si Libertatem cogitandi exulem e mentibus humanis faciamus, quid euenturum sperare poterimus aliud, quam ut diuinum pertaesae donum grauissimi sceleris reas se se vltro agant; cui enim, obsecro, non videatur scelus? insigne illud beneficium, quod Auctor naturae ad excolendos nosmet, felicitate inque nostram certo quodam praesidio procurandam liberalissime elargitus est, negligere, despicatui habere, ac tamquam perniciosum aliquid auersari, detestari? Haec sano cerebro aliter posse videri, vix arbitror. Imaginatio est, quidquid tanti du- cimus in recto, et prudenti vsu Liberatis philosophandi, ut loco summi periculi reformidemus.

Non est, quod Philosophum vi cogitandi vti, ut lubet, prohibeat; quippe si fortasse perniciem aliquam, morum depravationem, scientiarum abusum, humanorum officiorum eversionem, mutuum, et communem inter homines amorem impietate quapiam perturbare contendat, iam non Philosophus, verum improbus Patriae ciuis habendus est, qui conciues suos, Patriam, et Principem



cipem nec amet , nec veneretur ; singulare autem illud veritatis adminiculum maleuola cum temeritate in perniciem conuertat , proinde sensoria eius organa , tamquam quae officio suo minime funguntur , sanguinis missione , *Rheubarbara* , *laxantibus* , et *euacuantibus saliis* , aut *helleboro* sunt potius restituenda , quam ad restim , vincula , rotam , et necem damnandus miser , ac frugi adhuc futurus . Absunt , me hercule , a verae Libertatis in Philosophando notione damna , quaecunque cogitari possunt , nam , vt ipse nosti , Philosophi est , quidquid falsum , quidquid perniciosum esse potest , detegere , ac libere detestari , studia omnia , cogitationesque ad sui perfectionem , et publicam salutem conuertere ; sin haud aequo iure sibi vendicat *sanc&uuml;tum* et *venerabile* Philosophi nomen . Philosophia enim veram , certam , er euidentem rerum naturalium per causas cognitionem requirit : quis vero est ? qui nobilissima hac per causas rerum cognitione conspicuum eum arbitretur , in quo aut mores in ruinam properant , aut veritas periclitatur , aut susceptae sententiae paradoxis laborant ? profecto quisquis hoc modo ratiocinatus forte fuerit , facile ego illum a fano Philosophiae vsu , et humanae prudentiae regulis aberrare , atque errorum seriem cumulare , censuero , quandoquidem rectum Philosophiacae finem esse , scio , veritatem iudiciorum , genuinum causarum nexum ;


et

et froenos domitarum passionum docere, hominem denique millenis vitae, honoris, ac fortunarum periculis expositum ita regere, ut in portu constitutus, ac animi tranquillitatem adeptus, rerum humanarum vicissitudines prudens excipiat, sortemque suam in mediis aduersitatibus felicem reddere intelligat, quae cum lege quapiam pugnare, alioquin non possunt.

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Sensus, quo *Libertatem in Philosophando* accipi debere docuisti, is est, quem ego non modo non improbo, sed etiam cum gaudio, et quadam veneratione amplector, immo Philosophis, atque Criticis, quorum copia hodie pullulat, omnibus cognitum, et probatum cupio, ne fundendis calumniis, incendendis odii, quod in animo diu presserunt, flammis, ac euertendis multorum fortunis natam rati Criticam, et philosophandi libertatem, ad scribendum, loquendumue adcedant. Mihi profecto, tametsi aliter nuper censuerim, nunc tanti iam videtur *Libertas in Philosophando*, vt tuo praesertim recreatus contubernio nullus dubitare possim de vera, et germana illius praestantia. Subinde si me non nihil reponere pateris ad id, quod sapienter edifferuisti, aio, posse non paucos in eam incidere cogitationem, vt putent, libertatem prudenti, et recto ysu limitatam vero

liber-



libertatis sensu destitui, quem illi ex ea cogitantis animi potestate componi debere autumant, quae tota sibi relicta sit.

### PHILOSOPHVS.


Erronea, et minime philosophica videtur mihi eorum opinio, amice! Nihil est, quod ad Philosophiam pertineat, et rationi consentaneum sit, quamprimum aut publicae felicitatis iacturam sapit, aut cuiuscunque hominis alioquin immerentis sortem, et tranquillitatem perturbat. Perspicuum autem est, hominem Libertate sentiendi, nisi ad rectam rationem redigatur, facile adeo posse abuti, ut in omnium fortunas, honoremque audax inuehatur. Quid enim est, quod Sicarium a necce prohibeat, si vnica eius libertate steterit vita, vel mors? Natura, et eius Auctor neminem ita finxit, ut feritas, immanitas, et nescio, quae nocendi cupiditas radicem in corde posuerint, verum potius ita comparatum esse voluit omnem hominem, ut eos, qui adflictæ sortis vices, et grauem ferunt calamitatem, amico sinu excipiat, soleatur, beneficiis cumulare satagat, praesertim si fortunis, honore, atque potestate fulgeat præ aliis, tantoque magis laetetur, quanto plures fuerint, qui beneficentissimam eius manum celebrent, ac venerentur. Istud quoniam ab eo, qui non rationem pro regenda libertate, sed libertatem

pro

◆ ◆ ◆ ◆

pro excutiendo rationis imperio datam sibi, putat, exspectandum haud sit, sequitur, e natura Libertatis esse, vt ducem rationis, ac communem hominum salutem sectetur, quo sane limite tam parum vulneris infertur libertati, quam parum constringi existimo omnipotentiam Diuinam per id, quod impossibilia facere nequeat. Ut pretiosum tanti in philosophando thesauri meritum Iucentius declaretur, opportunum adhuc est, adire singularem illam Philosophiae vim, qua illa non in vnum aliquod rerum genus inquirit, sed quidquid cognosci potest, acri quadam mentis acie scrutandum suscipit, vbi Philosophum a froeno auctoritatis immunem prorsus esse oportet, ne grandem in ea formidinis, et curarum molem expertus, aut e multitudine rerum cognoscendarum pauxillum duntaxat aliquid decerpere, aut sterili, et obscuro modo promere cogitata, atque statuere inuenta debeat; quo fieret, vt et ingens illa Philosophiae vis, qua reliquis scientiis praefat, minueretur, et Philosophus non ingenuum, sed servili iugo circumuentum ageret rerum naturalium contemplatorem, id quod alienum a Philosopho esse, ipsa Philosophiae dignitas, amplitudo, et diuina quaedam maiestas postulat.

Itaque tametsi ad prudentem rationis usum redigatur Libertas in philosophando, perperam  
tamen




tamen indicaret aliquis, huc reductam illam non posse vero illo sensu gaudere, quem Philosophia requirit. Neque est, crede mihi, amice! cur temere dictum a me quidpiam arbitrere, si ad indolem Philosophiae, tibi apprime notam aduertas animum. Eius ambitu rerum diuinarum, atque humanarum cognitio continetur, dispellitque ab animo caliginem omnem, ut *omnia supera*, verbis vtor Tullii, *intra*, et *media* videremus. Quis autem ducat ratiocinia super rebus varietate, ac multitudine adeo distinctis, vt merito vereri debat, ne positos sibi limites vel inuita egrediatur mens, aut in angustias timoris coniecta non aliter cohipeat se a praestantissimis etiam notionibus, atque is, qui sublatum iam pedem serpenti immovere videns, horrifico perculsus timore, suspensos caute relegit passus. Obtunditur acies mentis, extinguuntur nobilissimi etiam ingeniorum ignes quamprimum formido, aut scrupulosa adcesserit sollicitudo, ne quid aliter iubenti voluntati aduersum committatur.

Libertas cogitandi, et agendi amabile Bonum est, ad quod singuli hominum, docti, vel indocti, summi, vel imi sint, adsequendum contendunt, ita, vt sicut connaturale singulis nobis est, in toto Libertatis ambitu perfecta agendi potestate valere, ita minime abhorreat a naturali cum

hac


hac agendi potestate nexu, eamdem in angusto  
 circulo captiuam teneri continuo, atque persuau-  
 sum habuerit aliquis, ita coarctari limitem liber-  
 tatis suae, vt amplius exporrigeret se absque pia-  
 culo, scelerisue nota nequeat. Cognoscat quis-  
 piam certo, ac euidenter, quae cum fors mansura  
 sit olim, numquid ipsa hominis natura, ipsumque  
 rationis lumen monet, vt huius in intelligendo  
 potentiae usum maximum capiat siue in vitae or-  
 namentis arripiendis, siue in periculis euitandis?  
 Obseruet rursus vel minimam particulam sphaerae  
 in adplicanda vi cogitandi, quomodo potest vltra  
 contendere? quomodo possunt vtilissimi, et ad  
 communem hominum felicitatem pertinentes cona-  
 tns incrementum capere? Denique perspicuum est,  
 in medio errorum Oceano iactari illum, qui in-  
 telligit quidem vim suae in agendo, et cogitando  
 libertatis, insuperabiles tamen laqueos, et obices  
 fuisse iam eidem constitutos videt. Quapropter clau-  
 rum est, decretis cogitationum, et meditationum  
 argumentis, vltra quae Philosophica ingenia non  
 prouehantur, absurdum tam grande, tamque de-  
 testabile decerni, vt non intelligam, qui possit  
 sapere is, qui ratiocinium suum super effectibus  
 naturae formidolosa forte coerget auktoritate. Et  
 vero, quis tanta est in mentes humanas potestate,  
 vt, ne cogitent, vetet? quodsi autem sine nutu,  
 et imperio alterius cogitant, quis est, qui iubeat



eos sic potius, quam aliter cogitare? quis est, qui seriem cogitationum, opinionum, et ratiociniorum statuat Philosopho? Ecclesia? Princeps? Magistratus? hi profecto, tametsi summam in orbe terrarum gerant potestatem, humanis tamen in philosophando ingenii, dum in phoenomenis naturae, bonarum artium progressu, et causarum cognitione locant operam, froenos aliquos, et limites statuere neque possunt, neque velle videntur.


Commune donum, ac generale est intellectus, quo neminem, qui de muliere natus est, destitui voluit Deus, et natura, sed neque ulli praeterea amplius ius cogitandi contulit, ut forte unus hic summo iure cogitet, ceteros talpas esse putet, iubat: immo illud prudenter, et consulto dicendum: qui natuum mentis lumen cura, et insigni quadam audacia excolere non satagit, indignum omnino esse illum pretioso naturae dono, similemque masculis, arte singulari ad motus ciendos, sonosque, ac voces proferendas paratis; immo nec meritum boni cuius Patriae obtinet, ut pote qui praeclarissimam ingenii vim neque ad artium, et scientiarum progressum conuertit, neque e tenebris sensum, ac organorum, in quibus eamdem natura posuit, industria, et liberis conatibus educere satagit. Deus Ipse disputationibus exposuit

hoc



hoc Vniuersum; id est; Philosopho in exploran-  
dis rerum causis potestatem dedit pertentandi vi-  
res ingenii, qui enim velle potuisset, vt Vni-  
uersum hoc litterariis perstrepat concertatio-  
nibus, Philosophi tamen omnes, ad quos singu-  
lari quadam ratione pertinent res naturales, ad  
vnius cuiuspam mentem suas exigant cogitationes  
de quotidianis Vniuersi rebus? Ecclesia Religio-  
nis, morumque integritatem tuetur, cui quando-  
quidem Libertatem Philosophandi nihil detrimenti  
adlaturam videt, froenis omnino parcit, pruden-  
ti, cautoque consilio monita, nihil sua interesse,  
de Placitis Philosophicis decernere, dum Religio-  
nis maiestas, et morum disciplina nullum discri-  
men persentiscit. Principes singularem quidem  
ducunt publicae Tranquillitatis rationem, tantum  
tamen abest, vt Philosophum in ratiocinando con-  
stringant, vt potius insignem quamdam Artium,  
et scientiarum, quae alioquin publicam ciuium sa-  
lutem constituunt, perfectionem fore sperent, si  
philosophicis ingeniis nullo modo vincta detur in  
ratiocinando Libertas.

Neque abs re adduci hue puto Principes,  
amicc! quoniam tanto altius sese penetraturae sunt  
humanae mentes in rerum cognitionem, quanto  
magis expeditam repererint philosophandi liberta-  
tem, tanto autem ampliores progressiones artium,




et scientiarum in usu vitae necessiarum sperandae sunt, quanto vberius rerum natura, causaeque, quibus continentur, fuerint cognitae. Atque huc spectat ingens Principum industria, quam in prouehendis scientiis ita collocant, ut maximo cum iudicio, et felicitate non Philosophiae duntaxat splendor, sed et Bonis Artibus omnibus perfectio, et dignitas concilietur. **A V G V S T A** certe **T H E R E S I A** paullo superioribus annis, quibus Diuina Miseratio beatos illius dies nobis donauit, nihil religiosius egit, quam ut compositis quaquaversum bellorum tumultibus Palladi litet, populunque suum et bonis artibus florentissimum, et toga beatissimum reddat. Huc contulit iam summis progressibus studia sua **T A N T A E M A T R I S A V G V S T A S O B O L E S, I O S E P H V S II. I M P. E T R E X N O S T E R C L E M E N T I S S I M V S**, qui sane praeclarissimam scientiarum dignitatem, et incrementum tantopere scrutatur, ac prouehit, ut difficile sit, augurari, primamne, qua in orbe eruditio floret, gloriam potius, quam nulli secundam in Arte Militari felicitatem contemplari eum oporteat, qui facundo calamo in laudes illius effundi cupit. Summus animi magnitudine, maximus eruditione est. Quapropter si quid periculi manare in Rempublicam videret e Libertate philosophandi, securos profecto redderet nos summo consilio, summaque sapientia-

pientia: cui enim, qui sano est cerebro, et iusta  
in Tantum Principem fide, veniat in mentem,  
cogitare: ruditati, neglectui, ac malo maximo  
consultum iri per libertatem in cogitando, atque  
philosophando? E conuerso igitur, quoniam ad  
excolendas liberis ingeniis Bonas Artes excitet  
nos, immo Academiis partim restituendis, par-  
tim ordinandis, ac insigni munificentia ornandis  
intentus sit, immo et viros in diuersis Patriae se-  
dibus sapientiae merito conspicuos euocet ad tra-  
dendas disciplinas, palam vtique facit, qua liber-  
tate vti velit humanas mentes in philosophando.  
At at prolixioris responseonis veniam a te peto.

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Multo humanitatis officio obstrictus tibi sum,  
amicē! pro eo, quod aere perenni dignas AV-  
GVSTI PRINCIPIS curas in restituenda hu-  
manarum mentium libertate disertis adeo verbis  
enarraueris, ac incaute audaces multorum conatus  
ad normam, rectumque usum adduxeris. Ego  
ipse non solum exploratam habeo, verum etiam  
veneratus iterum, iterumque fui eam Principum,  
et Eorum, ad quos cura Boni Publici pertinet,  
sollicitudinem, qua videre cupiunt diligentissime,  
quid tribuendum, quid auferendum sit humanorum  
ingeniorum audaciae, neque ad quidpiam eorum,  
quae siue animorum, siue fortunarum iacturā pe-




pererint, libertatem Philosophi extendi patiuntur, cuius vigilantiae luculentum praebuit exemplum annus quartus et quadragesimus seculi nostri Vienae, et Posonii, quo Clariss. Alexius Coruer S. P. Philosophiae suae, quam Roma in Hungariam aduexit, rationem iussus dedit, ac sapientissimae Principis, Procerumque consensu communi absolutus, liuoris arma vicit, et incrementi, ad quod venisse iam artem philosophandi gratulamur, initium fecit. Immo hodie quoque admiratur locus omnis incredibilem AVGVSTI PRINCIPIS industriam, quam in id confert diligentissimam, ne vspiam desiderentur necessarii, atque doctissimi Bonarum Artium Magistri, et Censores.

### PHILOSOPHVS.

Quidquid dictum adhuc a me est, eo referatur, vt videoas, amice! nullis calumniis, nullis detestationibus, nullisque accusationibus cendum esse in statuenda ingeniorum libertate, dum de obsidendo praeiudiciorum imperio, de diruendis superstitionum moenibus, de labefactanda auctoritatis vi in obtundendis Philosophorum ingeniiis consultatur, et ad incrementum Bonarum Artium noua scientiarum argumenta, nouaque tradendarum disciplinarum praecepta decernuntur. Et sane, cur auferre id velit Philosopho quispiam, quo destitutus humi semper repet, cramer-

bemque eamdem rodet? Quis est, qui singulis Philosophis notiones proprias, systemaque proprium pro norma cogitandi praefigat? ut ultra eam ne ad solidiores quidem veritates progredi possint. Istud velle, quemadmodum nuper iam obtinuit, an non est, ad coecas tenebras damnare humana ingenia? ponenda est norma, dandus est dux in cogitando, non inferior, at rudibus, tyronibus, et imperitis: cui enim cognitae sunt syrtes, pericula, scopuli, ac via omnis ad metam veniendi multis tentata modis, opus non habet duce. Dux est Magister. Et sane si unusquis ducem se Magistris omnibus posset praebere, cur de Magistro singulo idem presumendum non est inter tirones Philosophiae? Profecto, si propriis conatibus nunquam indulsissent Philosophi, obsoleta veterum crambe contentos nos esse oporteret hodie. Sapiunt Angli, Galli, Itali, Germani, cultique populi omnes, cur non sapiamus et nos? *Pedantius* est, cui politior Philosophia locum dare nescit, a quoniam Philosopho idem semper dici, tradiue, quod summus aliquis dixerit, tradideritque. Aeternas esse oportet opiniones Philosophicas? aut si mutari possunt aliquando, cur non licet hodie in examen adducere? Sententiae Philosophicae non sunt Dogmata Religionis, ut omnes bene moratae gentes in eas iurare debeant. Deinde, cur seu Principes ipsi, seu scientiis, et poter-




state quacunque conspicui alii vim inferant necessariae in Philosophando Libertati , qua et communis Patriae ornamento egregie consulitur , et fortunis quisque suis adcessiones parat , et ciues ipsi ad omnia Regis , et Patriae munera probe gerenda praeparantur ? Mihi infinita quadam mentis vi opus esse videtur ad id , vt lex , et terminus in philosophando ponatur ingenii ; quippe infinita est rerum naturalium varietas , atque multitudo , quam exhaustiri , causasque , quibus continentur , cognosci prius oportet , quam vinculum ingenii summa potestate constituatur . Quis est in regno Philosophiae summus ille Plato , Pythagoras , Aristoteles , Ammonius , Thomas , Duns , Newton , aut Leibniz , qui unus libere philosophetur , nemo aliis ? In hoc argumento non summa potestate , cui singulos nos caput , genuque fletere oportet , conspicuum , sed sepositis quibuscunque ornamentis aliis , vt Philosophum contemplamur hominem .

Quod ad infinitam rerum naturalium seriem adtinet , eam non nisi mens infinita exhaustire potest , qua perfectione Auctor naturae quoniam mentes humanas nec cumulauerit , nec cumulare potuerit , liquet abunde , seriem rerum , et causarum naturalium , siue argumentorum ad cogitandum dælectorum nullam constitui posse humanis ingenii ;

Liber-

Libertatem proinde in Philosophando immobilem  
 adhuc consistere. At haud sufficient haec infensis  
 hodiernae Philosophiae hostibus; arripiunt illi ar-  
 ma nimiae vetustatis, inquiuntque, a priscis inde  
 Philosophiae temporibus ad vnius siue Pythagorae,  
 siue Platonis, Aristotelis, Duns Scoti r. mentem  
 fuisse philosophatos omnes, ut adeo nunc quoque  
 idem fieri oporteat. Sed imbecillo nituntur funda-  
 mento: quippe tametsi omnis vetustas gloriam, et  
 venerationem mereatur; eam nihilominus haud ob-  
 tinet vim, ut melioribus porro rebus emendari,  
 atque commutari non possit. Quid sanctius? quid  
 perfectius vñquam esse potuit Lege Mosaica? po-  
 pulus tamen electus reliquit Illam, ad Nouam con-  
 uersus. Quis ergo velit Philosophum eodem sem-  
 per nisi vestigio? praesertim cum ipsa natura no-  
 uos, et stupendos constanter proferat effectus? in  
 quibus explorandis qui libere cogitandum non esse  
 dicat, coecus ille in media luce sit, oportet. Dum  
 Pythagoram, Platonem, Aristotelem, ceterosque  
 Philosophiae Magistros adducunt, arma ministrare  
 nobis videntur; quippe vel propterea, quod va-  
 riarum apud Priscos Sectarum Magistros videa-  
 mus, patet luculenter, libere eos philosophatos  
 fuisse, quandoquidem Sectarum diuersitas ibi fo-  
 lum vigore potest, vbi varia initur philosophan-  
 di ratio.



## AMICVS PHILOSOPHIAE.


Reête loquutus es, amice! at illud patrocinari debet Veteribus aduersus hodiernam philosophandi libertatem, quod eorum Scholae Summos, et ob illustrem mentis, ac scientiae magnitudinem, monumentorumque, quibus aetatem nostram illustrant, dignitatem, atque multitudinem omni retro posteritati notissimos viros donauerint, qui sane nunquam tanta, tamque solida eruditionis laude orbi illuxissent, si Philosophiam rudem, impolitam, et barbaram didicissent. Quodsi ita est, cur a veteri bona, et indubitata philosophandi ratione ad nouam, multis alioquin ambagibus, et difficultatibus obnoxiam eundum est? praesertim cum nouitas taedii quidpiam, et periculi adnexum habere putetur.

## PHILOSOPHVS.

Philosophia, quam siue ante Graecos Barbari, siue deinde Gracci ipsi, Romani, atque tam in Oriente, quam in Occidente populi cultiores amplexi sunt, perfecta fuit aetati, moribus, ac genio populorum conformi perfectione, ita prorsus, ac hodie loqui nobis licet, perfectam esse Philosophiam hodiernis rerum circumstantiis consentanea perfectione, quam si fortasse in apice iam esse putat aliquis, aetatis, atque populi sui praeiudiiciis ablatum esse illum dixeris. Terminus, apex  
que

que perfectioni scientiarum poni nullus potest, quandoquidem humanae mentes sciendi desiderio agitatae in incredibili rerum varietate et inueniunt plurima, et excolunt diligentissime. Porro Viri virtutis, ac meritorum gloria commendati non in Aristotelis solum, aut quacunque Priscorum Schola floruerunt, sed in omni etiam vitae, ac officiorum genere. Circumfer obsecro, oculos, in omnes hodie Honorum, Ordinum, Dignitatum, ac Magistratuum partes, ingentem vbiuis deprehendes Eruditorum multitudinem, ut verum omnino sit, quot Aulicos, Politicos, Iuridicos, Milites ac Publicorum negotiorum Ministros videmus, totidem videri a nobis Historicos, Geographos, Oratores, Poetas, Criticos, ac Philosophos egregios; nempe, non est, quod tantopere perficiat humanas mentes, atque in ratiocinando Libertas.

Enim vero, si quis mentem suam in explorando, cogitando, ac iudicando quasi vinculis quibusdam vinciat, iam periculum iniuit minus propri cogitandi, ac iudicandi, siue artem struendorum ratiociniorum spectemus, siue damna sequutura: quod ad primum adtinet, non omnia ea in medium comparandorum iudiciorum cogere potest, quae plurimum valitura forent ad perspicuum eorumdem nexum, et quaesitam veritatem; multa enim auctoritati innituntur, quam excutere nefas




fas est, multorum ratio summa in forma Regimini latet, quam violare, scelus est, denique multa praeiudiciis stabiliuntur, quorum vis, ac in persuadendis animis potestas nullis fere modis superari potest. Quod ad alterum adtinet, quandoquidem nitimus in vetitum, quo arctioribus limitibus coerceretur vis cogitandi, eo maiore nisu contenderet, froenos effringere, ac semet natuæ libertati restituere; vnde quam efroenit audacia sit exspectanda, facile quisque videt. Libertate destituti aut in vetustis rebus, et obsoletis pene argumentis figemus nos cum formidine, aut nefsum quidem reciuis cogitandi sumus obtenturi.

Experimur istud quotidie: adolescentes aetate adhuc tenera si seuerum aliquem, incultum, rudem, ac truculentum forte nacti sunt parentem, aut educatorem, quamlibet sagax, et acutum naturae beneficio acceperunt ingenium, rudes tamen, et impoliti excrescunt propterea, quod iusto rigidor patris, ac Moderatoris disciplina tantopere coaretet eorum mentes, vt nihil cogitare, nihil depromere, nihil tentare audeant, vel si fortasse proloquantur quidpiam, metu pleni loquantur, veriti, ne seueram patris, ac Moderatoris disciplinam, animaduersione mœ ferant. Proiecto, quod in tenera hac aetate fieri experimur, si modesta, prudens, et iusta quaedam loquendi, ac agendi liber-

libertas non detur adolescenti, idem euenturum est Philosopho, si in ratiociniis suis suprema Autoritate Aristotelis cuiusdam froenetur liberum eius in ratiocinando ingenium.

Nisi libere cogitauerint mentes nostrae, aut nouitatis, aut antiquitatis praeiudicio maximo corruptae ad perniciem Bonarum artium abutentur, aut sub tristissima barbarie scientiarum gerent. Enim vero vel id certum, ac pulcherri-  
mum ratae, quod hodie natum, cogitatumque est,  
ipsae quoque in metu ultra tentandi positae cre-  
scientibus Litteris obicem ponent, vel nimia in  
antiquitatem religione inflammatae inuentiones ho-  
diernorum odio prosequentur, progressumque scien-  
tiarum ab incremento prohibebunt. Malum idem,  
et maximum utrobique! Quod est ius illud, quo  
Auctor naturae aut auferre prisciis bonam mentem  
coactus fuerit, ut hodiernos eadem largiter exor-  
net? aut nos vi bene cogitandi destituere debeat,  
ut omnis veneratio, dignitas, et meritum scien-  
tiarum in antiquitate reponatur? Obscro, an nun-  
quam rectius aliquid sapere licebit, propterea,  
quia Prisci minus recte sensisse videntur? aut an  
nunquam sapientius cogitare possumus, quia sa-  
pienter multa iam cogitantur hodie?



## AMICVS PHILOSOPHIAE.

Indulgebis mihi, amice! vt dicam: nimis audacem esse hanc, de priscis hominibus, opinionem tuam, nec satis adsequor, qui potueris exultam meliore sensu mentem tuam in hoc con uitiorum genus abiicere: scio enim, limato admodum esse vos in bonis artibus iudicio, proinde nec odio in ullam hominum aetatem inflammari, nec populum quempiam ruditatis damnare velle, immo nec Philosophum aliquem suis in philosophando meritis priuari a vobis posse, quod alioquin iis duntaxat placet, qui nimio seculi sui amore capti in omnem aliam hominum aetatem calumnias, vitiumque ignorantiae liberaliter effundunt.

## PHILOSOPHVS.

Tene te, notum mihi est probe, ex annali bus historicis non aliud posse colligi, quam priscos aut nullam, aut tenuem nimis in Philosophia, Bonisque artibus fecisse progressionem, quin, vt dixi, libere philosopharentur: vt adeo aut illud verum esse oporteat; Priscos, quidquid minus utile, minusque expolitum in scientiis habuerunt, eo referendum esse, quod nimia Magistri autoritate vinclati, acrioribus meditationibus percepserint, contenti, si nulla eos caperet obliuio eorum, quae memoria iam tenuerunt; aut quidquid

vti.


vitale, pulchrum, et perfectum scierunt, liberis in tentanda rerum natura conatibus deferri debere, id quod tam systematicarum apud Graecos Institutionum Historia, quam emigrantium porro e sedibus Atheniensibus scientiarum, ac fuscitatarum, singulisque seculis mutatarum Scholarum annales luculentissime patefaciunt.

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Arctis admodum limitibus constringere videbis, amice! merita Priscorum, quos ego nullam ab orbe eruditio laudem tulisse, absit, iudicem.

### PHILOSOPHV S.

Qua laude, et nominis gloria nostris temporibus illuxerunt viri e summa antiquitate, eam ideo duntaxat meritos eos fuisse, annales loquuntur, quod partim in philosophando nouam methodum cooperint, partim systematice cogitare, orsi sint, partim denique, quod aliqua naturae arcana cognouerint, atque ita libere philosophati egregie locupletauerint scientias philosophicas; iis vero singulari quodam modo fuisse datam laudem, nusquam recordor, qui toti in consequenda Magistri sui doctrina ita sunt versati, vt ne hilum quidem ab ea semoti de incremento, atque perfectione placitorum philosophicorum nullum iniuerint consilium, nullam susceperint industriam. Quapropter



pter quidquid celebritatis forte consequutus fuit Philosophus aliquis aetate sua absque praefidio Libertatis in Philosophando, tulisse omne illud censendus est vel ob ingenii magnitudinem, vel ob aestum, rabiemque, qua in disputando furere, ac fulminare visus est. Aristoteles profecto, quod dialecticis suis figuris, et arguta ratiocinandi arte omnem Zenonis Scholam, et gloriam obscurauerit, non solum prima honorum praemia adeptus est, verum etiam sui ipsius, ac Dialectices totius horrorem quemdam excitauit in aliis adeo, ut vel memoria dialecticorum aculeorum retardauerit porro eximios Philosophorum conatus. Augustinus omnem veritatem, quam Diuus Ambrosius habebitis ad populum orationibus grauissime demonstrauit, adeo conuulsit subtilitatibus suis, ut Vir sanctus fusis potius ad Deum precibus, quam dialectico strepitu fore eiusdem conuersionem sperauerit. Ioannes Duns, ut ceteros taceam, tantum gloria subtilitatum valuit, ut eorum spinis afflictio rerum diuinarum Scientia, amoenissimam illam puritatem, quae summorum hodie ingeniorum consilio, atque contentione inuecta est, multis adhuc seculis ignorare debuerit.

Nescio sane, amice! an reperisse potius, quam perfecisse potius, et vitae humanae usui accommodauisse Bonas Artes, laude dignius haberi debeat?

debeat? non enim negauero, Graecos, ac porro Philosophos plurima pertentauisse, quae dein aetas recens excoluit, et vtilia fecit.

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Videmini idem pene agere, quod is, qui praelium initurus, antequam inimicas experiatur vires, obsidionem, vicesque conflictus omnes pingit, ac triumphum canit. Priusquam vtilitatem, et boni publici incrementum ex hodierna Philosophia natum ostendatis, eam quasi de coelo lapsam toto animo, totisque viribus ingenii seftandam statuitis, vfitatam in ea Libertatem decernitis, ac soli illi dignitatem omnem defertis; id quod ego baud ideo dixerim, vt praeiudicio antiquitatis ablatus Priscis omnia tribuere videar, sed vt innuam, explicita commodorum declaratione opus esse ad id, vt priscarum Scholarum adoratores in eamdem tecum opinionem adducere possis; mihi quidem satisfactum iis est, quae de merito, vsu, atque necessitate Libertatis in Philosophando egre-gie iam differuisti.


### PHILOSOPHVS.

Multa, et magna sunt commoda, amice! quae inde ab excusso Peripateticorum iugo in me-dium vitae deducta sunt ab hodiernis Philosophis, quorum alia vsu, et Historiae Philosophiae studio



consequutus sum , alia a Magistro nuper accepi :  
 I. Logica e tenebris , litibusque vocum obscurissimarum in Artem recte cogitandi , ac differendi conuersa est ; nempe donec Peripatetici Regnum in Philosophia obtinuerunt , non nisi vacuas vocum significaciones , ambiguas interpretationes , nefastam *categoriarum* , atque *praedicamentorum* congeriem , ac metuendam in disputando rabiem sunt consequati , id quod sive *Aristotelem* , sive *Arabum versiones* , sive porro *Mastrium* , *Gerinois* , *Sacculum Distinctionum* , et his similem quempiam legas , manifesto deprehendes . Enim vero postquam ingenti cum industria aetatem fere ipsam in hoc studio attriuisti , oleum , atque operam perdidisse te , intelliges , quin aut utilior Reipublicae ciuis euaseris , aut Orbi erudito notior redditus fueris .  
 II. Mathematicae disciplinae et coluntur miris progressionibus , et adiuuandis humanarum societatum commerciis destinantur diligentissime .


III. Artes aut pleraque ad perfectionem venerunt , aut in singulos dies eo deducuntur : Oceanus in plurimis , ac vastissimis sui partibus mira facilitate , et securitate superatur , noui orbes deguntur , noua , et maxima commercia instituuntur , ferae gentes in mediis insulis repertae ad officium humanitatis reducuntur , terrae steriles excoluntur , onera ingentia magno virium compendio



dio tractantur, de loco in locum transponuntur, machinae humanis vibus diu optata facilitate seruiturae elaborantur, et modo aeri, modo aquis purgandis adcommodantur. Globus sane Aerostaticus apud inclytam Gallorum gentem hodie primum in sublimem aeris regionem abiit, tamquam nauigium quoddam aereum, non sine incredibili Philosophiae hodiernae ornamento, ac mentium, vires naturae periclitantium, argumento maximo.

IV. Ars et Scientia Medica, vtpote praecipuum conseruandae vitae praesidium, insuper Iurisprudentia, necessaria fortunarum Magistra, ad maximum venit incrementum; vnde fit, vt frequentissimos numeremus viros, quorum alii intima aegritudinum cognitione, alii felici litium decursu integris Familiis salutem pepererunt.

V. Immo et adolescentium ingenia longe utilioribus rebus occupantur hodie, atque olim regnantibus vbiique Peripateticis, quod e norma studiorum, Ratione Educationis, ac omni Scholarum Disciplina liquet manifesto. Enim vero subtilissimas illi ex Aristotele definitiones nominis, singularis, vniuersalis, generis, speciei, multasque eius modi salebras in quaestionem vocarunt; deinde steriles radicum, rudimentorum, et Grammaticae regulas, tandem indigestas Syntaxeos apendi-




ces, denique confusissimas id genus Institutiones ingenti quodam rigore, et non sine maximo memoriae periculo didicerunt miseri pueri, quin tamen dici posset, eos praeter immensam definitionum, diuisionum, ac distinctionum molem pauxillum de bona mente, et corde honesto didicisse: de nugis his, et tricis scholasticis qui breuiore tempore plura retulit capita, laude tanta donatus est, quantum is quoque inuiderit, qui arces solo aequauit, ac formidandam hostium aciem magno animo dissipauit; nostri ex aduerso adolescentes iis scientiarum partibus dant operam, quae et ad solidiorem spectant eruditionem, et in vsu vitae locum obtinent, et ciuem optimum formant, summa tamen facilitate discuntur.

VI. Et certe vix prima coepit litterarum fundamenta puer, continuo Geographiam, Cosmographiam, Mythologiam, Heraldicam, praecipua Historiae vniuersalis capita, computum ducere, cogitationes in chartam conferre, super acceptis, et erogatis testes condere litteras, denique quidquid ad honestum, prudentemque vitae usum spectat, distinctis cum notionibus edocetur, cui muneri, alioquin longe utilissimo hodierna tradendarum disciplinarum aetas viros multo rerum usu probatos, annisque paullo maturioribus conspicuos praeficere adlaborat, quoniam nouit optime, iuueni-

ueniles impetus, adfectus vehementiores, concitatos ingenii igniculos, atque natos inde praefervendi iudicij errores, praeiudiciorum vim, atque incommoda huius generis plurima immaturis, et inexpertis Institutorum annis propria, minus comparata ad id esse, ut teneram adolescentiam in iis vitae, atque Litterarum principiis erudiat homo iuuenis, quae corda puerorum, cerae instar fleti sueta, grauissimis porro fortunae negotiis prudenter obeundis, et quibuscumque vitae vicissitudinibus magnanimitter ferendis praeparent. Iis opus est hic, qui, quod verbo proponunt, exemplo, ac vitae vsu persuadeant etiam, plurima experti, affectibusque, et omnibus animi motibus legem dare docti. Vel vnum hoc tradendarum disciplinarum praesidium elaborando, tantum perfectionis, atque emolumenti publici procurat hodierna haec, et cogitandi libertate insignis Litterarum aetas, quantum de immenso anteaetorum seculorum interuallo, dum libertati in philosophando minae, insidia, ac tristissima pericula decernebantur, ne sperare quidem licuit.

Hoc studiorum, et educandae iuuentutis consilio eam rede cogitandi facilitatem consequuntur adolescentes, ut quinto, sextoue ultra decimum aetatis annum lectionissimos Authores amoenissimo cum successu interpretentur, super vetere, et hodierna




descendi methodo prudenti consilio differant, certo ordine collectas promant rerum notiones, mira in mineris, plantis, atque animalibus naturae opera scrutentur, dilucidentque; immo etiam alii facundis nuper orationibus, alii ingeniosis poematisbus, alii concinnis narrationibus, alii denique conscriptis Historiae Patriae compendiis placere coeperunt. Neque mirum istud tibi videatur, amice! quippe mens humana primis iam annis facilia germae eruditionis capita intelligere, ac aestimare sueta progreditur tandem cum voluptate.

VII. Quandoquidem nouit et illud Philosophus: summum quodlibet eruditionis fastigium nihil duci oportere, nisi morum integritate, probisque vitae institutis commendetur, eapropter limatior hodie rerum discendarum delectus, aliquin libertati philosophandi vnice innixus, cum praeclaris Litterarum elementis praecipua Religionis capita proponit, et ediscenda praecipit in Gymnasiis, adiungit Historiam e diuinis Litteris docto cum iudicio collectam, libellosque de meliore vitae ratione, id quod quantum conferat ad formandos bonos Patriae ciues, dici vix potest. Quapropter e mente hodiernorum Philosophorum educatos adolescentes non eruditos duntaxat viros, verum etiam Patriae, bonoque Publico utilissimos ciues futuros confidimus. Sane ut aliorum experien-

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

rientiam testem hic non adpellem; noui ego ipse adolescentes, inclito natos genere, ac homini Philosopho creditos, ea inclaruisse morum, et studiorum praestantia, vt insigni eos solatio Patriae futuros, viri grauissimi iudicarent, ipsique aemuli primis eosdem honoribus dignos censerent; passim audire est hanc hodie praestantissimorum Virorum opinionem, et spem de adolescentibus, viro graui, et Philosopho creditis. Et, quis non optime speret de eo, qui in ipsis iam adolescentiae annis non solum praeclara mentis acie conspicuum se reddidit, verum etiam ea discendi voluptate incepsum gerit pectus, vt et visendis Bibliothecis, noscendisque libris optimis nihil suauius putet? et diem relaxando animo, aes commodis, ac honestis deliciis destinatum in librorum procura-  
tionem conuertat? immo ipsam duci suetam aeta-  
tem insigni Artis Criticae cognitione, subtilioris,  
et florentioris eruditionis delectu, et amore com-  
mendet; luculentam facit insuper spem, fore, vt in-  
crementum Litterarum, gentisque gloriam non me-  
diocriter promoueat?

Quid tale visum, aetumque in Peripatetica illa seruitute? in qua non intelligi, gloriae datum erat Philosopho? In Scholis Peripateticorum aures murmur minarum, tergus fragor verberum, tene-  
rum adhuc, et optimae educationis semine im-



buendum animum cruenta saeuitiae argumenta constanter terruerunt; proinde tiro scientiarum in rugas contractam frontem fingere, oculos saeuitiae complere, vultum truculenta barbarie tegere, gestus, ac vniuersum corporis habitum inculta ruditate deprauare didicit. Quippe nunquam miti aspectu, prudenti consilio, ac suaui alloquio, sed minis, verberibus, ac truculentissimis obtutibus regebantur pueri, et ad miserrimas Grammaticae regulas magno memoriae tormento impellebantur.


Nos explicitis humanorum officiorum generibus, dignitate, merito, et pulchritudine vitae honestae, exemplo Magni cuiusdam, et siue scientiarum, siue armorum gloria florentissimi Viri, Religionis necessitate proposita, ac Diuinae Bonitatis celebratione a primis iam annis ad virtutum amorem incitamus, in Geographia regnum, ac prouinciarum ortum, progressum, situm, magnitudinem, glebam, mores populorum, ac Imperii formam docemur. Denique Peripatetici, quorum iugum Collegarum quoque meorum contentione executi comperisti, ad solos de ineptissimis quaestionibus clamores tollendos potissimum contenderunt; nos mentem ita formamus, ut recte cogitare nuerit, cogitataque sua idoneis verbis promere nitide, ac perspicue, vt adeo neminem fore putemus iam, qui amore Priscorum, ac cumprimitis Pe-

ripa-

ri pateticarum Scholarum percitus de Libertate in Philosophando ingentibus alioquin commodis referata minus rectum aliquid pronunciet. Quod ad me adtinet, tanti eam facio, ut credam, nisi felicibus Philosophorum conatibus inducta fuisset, ignoraturos procul dubio nos fuisse idonea vitae dicere, docere, ac exercere.

Profecto erat aetas Philosophorum, qua humanae mentes in verba Magistrorum iurauerunt incultae, quapropter ingenti coecitate, ac ignorantia detentae seculum ipsum mirifice obscurarunt: quippe neglecto libertatis vsu discipuli *seruum pecus* habiti in vnum ducem gloriam omnem, ac potestatem cogitandi contulerunt, non sine ludibrio maximo persuasisse sibi visi, aut deteriore luto formatos se, aut e numero rationalium creaturarum exclusos aeternis inertiae vinculis adtineri oportere. Istud, me hercule! haud modico dari vitio Priscis debet, sicut hodiernis magno esse incitamento, ne alienam potius sectentur imbecillitatem, quam proprii ingenii vires experti ad aliquam eluctentur cognitionem.

Est et illud neglectae libertatis incommodum non mediocre, quod sicut libertas ipsa sibi relicta mentem magnitudine quadam exornat, ita froenis constricta otio deditos, alienisque cogitatis adsue-



tos reddat homines, quorum utrumque a multis  
Reipublicae commodis remouet ciues. Negligunt  
enim quodam modo suam ipsi indolem, quam ad  
commune bonum, in artium, et scientiarum pro-  
sequutione, ac perfectione optime impendere po-  
tuissent. Qui non id certum tenent, quod sibi,  
sed quod aliis videtur, nunquam securi, nunquam  
ab errandi periculo immunes sunt; quippe cogni-  
tae veritatis arbitra sola esse potest intima cogni-  
tio causae, ut sapienter visum Cl. Floriano Dal-  
ham. An non turpe, an non dedecorum fuerat  
Salmaticensibus, solemnii iureiurando obstringi sem-  
per super sectando Aristotele? quem grauissimis in  
Philosophando erroribus obnoxium ridet aetas po-  
sterorum.

#### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Haec tanti sunt, amice! ut iis refragari pe-  
tore philosophico nequeam; quapropter ingenue  
fateor, me non admodum difficilem esse in ample-  
ctendis conatibus vestris, praesertim cum et ipse  
nuper duce optimo Magistro clementa sanioris  
Philosophiae delibauerim, et continuo tacitis  
animi incitationibus in castra, camposque vestros  
descendendi desiderium induerim, et nunc non  
mediocrem ex ea capiam voluptatem, memor,  
sicut summe gloriosum est, veritatem consecrari,  
ita indecorum nimis esse, de optima veritatis se-

mita


mita ad salebras , et vepreta deslectere , viamque certissimis veri impedimentis obsitam terere : subinde quandoquidem recordor , obiectum nonnihil fuisse , immo et nunc in contrarium adferri posse multa , ideo dilucidari ea , meque edoceri cupio , nisi grauis , molestaue tibi adcidat petitio .

### PHILOSOPHVS.

Petitionem tuam audire , eique satisfacere posse , gratissimum mihi semper est multis quidem e capitibus , potissimum tamen ideo , quod te Philosophiae nostrae amicum experiar . Prome igitur difficultates tuas .

### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Paucis dabo : atque ut de pernicie Religionis , morumque nihil adtingam ; 1. Paucos inuenire est , qui reiectis penitus amoris proprii , authoritatis , affectuum , scientiarumque praeiudiciis , recte duntaxat rationis usu agant ; hos igitur ad ducis alicuius exemplum oportet philosophari , ne ratione , et ingenii acuminis abusi aegram ducant vitae , fortunarumque cum moribus iacturam , neve ipsum scientiarum curriculum immoderatis conatus suis vertant , euertant , donec teneras discentium mentes aut nouitate confundant , aut varietate obruant . 2. Vetustum , ac perulgatum est , omnes nos deteriores fieri licentia .



tia. Quapropter in Philosophia quoque facile vi-  
tium pepererit Libertas; iuuentus praesertim pas-  
sim absque iusto deleitu per omnes Sectas perua-  
gabitur, tandem errores, et paradoxa ducet plu-  
rima, immo vltro vestigabit, ac excogitabit, ni-  
si duce froenetur eius in ratiocinando libertas. Duo  
haec sunt p[re]a ceteris, quae et animo meo du-  
bium adhuc iniecerunt, et innumeros alios a li-  
bertate in Philosophando deterruerunt.

### PHILOSOPHVS.

Aut odii sunt haec inuenta, amice! aut ab  
illis solum profecta, qui germanum *Libertatis in*  
*Philosophando* sensum intelligere se aut dissimulant,  
aut perperam negant, vt tanto audacius coniiciant  
tela sua in nos, qui nec pugnamus, nec Libertati-  
norum instar omnia nobis licere rati, calumnias,  
nocendi artes, et quiduis etiam imprudentissime  
scribendi audaciam nobis vendicamus sub insigni  
Libertatis merito, sed potius de Bonis Artibus be-  
ne mereri cupimus.


Paucitas eorum, qui abiectis praeiudiciis v[er]su-  
rationis valeant, haud euicerit, Libertatem phi-  
losophandi omnibus, et singulis, qui eam secta-  
rentur, fore perniciosa; verum potius tironi-  
bus solum, quibus ducem virtute, ac eruditione  
insignem, ad cuius exemplum suos porro mores,

stu-

◆ ◆ ◆ ◆


studia, eruditionemque omnem exigant, praefici oportere, nostra est opinio. Enim vero firmando<sup>s</sup> esse adolescentium animos consiliis, doctrina, et prudenti vitae ratione, qui neget, iniquus in patriam iuuentutem arbiter fuerit: at in duce hoc libertas ratiocinii requiritur, ne ita premat antecedentium vestigia, ut eat, non, quo eundum esse viderit, sed quo itum ab aliis est. Egregie Tullius: *Omnium Bonarum Artium Scriptores et legendi, et peruvolutandi, et quidquid erit in qua que re, quod probabile videatur, eliciendum, atque dicendum.* Certe omnibus, qui ad eruditio-  
nem in quacunque disciplina contendunt, relin-  
quendum illud est, ut ex optimis Aucto<sup>r</sup>ibus sum-  
ma cum libertate colligant, quidquid et veritati,  
et utilitati praesertim consentaneum est; cur igitur  
auferatur haec vis, et potestas Philosopho,  
quam infinita rerum philosophice cognoscendarum  
moles postulat? seruitus me hercule! philosophandi  
non potuit esse aeterna, quippe secus admirabilis  
illa scientiarum, et artium omnium seu per-  
fectio, seu inuentio, quam hodie laeti intuemur,  
et nos, et posteros nostros aeternum latuisset.

Quod ad vetus illud adtinet; paucis repono:  
quoniam libertatis malum omne ab infracta legum  
auctoritate sic deriuandum, huicque in omni bene  
ordinata Republica Principes, et Magistratus  
omnes



omnes insigni consilio intentos esse, sciamus; profecto libertas nullis obnoxia esse potest periculis corrumpendorum animorum. Quod vñquam fuisse tempus recordare amice! quo liberius fuisse orbis eruditus philosophatus, atque hodie philosophetur? Statui tamen publica orbis confessione non potest nouus haeresiarcha. Deinde non sola illa licentia duci hominem oportet: recta ratio usum illius praebeat, necesse est, neque id continuo probetur, quod licentia suaserit, quin ad normam rectae rationis exigatur. Quapropter idem, quod in nos fortasse miserint telum aduersarii, in eos remittimus, ac vel propterea consequandam ingenuo Philosopho libertatem pronunciamus, quia sanctitatem Religionis, auctoritatem Principis, integritatem veritatis ab impudentissima pessime cogitantium temeritate vindicat.

Numquid in concertatione litteraria sola motiuorum ab aduersariis obiectorum recensitio minime satisfecerit vi, quam iisdem inesse putant? vrgent vero mordicus, vt promta detur responsio, in qua expedienda liberas postulant cogitationes, easque eo libentius audiunt, quo magis fuerint nixae imaginandi potestate, vt eo audacius, atque liberius suis ipsis cogitationibus indulgere; ac propositionem liti datam premere possint pro lubitu, ac potestate ingenii. Si igitur aduersarii, et  
ipsi




ipſi nobiscum libera imaginandi vi agunt in argumentando, et in nobis eamdem requirunt in respondendo, quid est, quod in promouendis Bonarum Artium progressibus eadem ingenii potestate vti, summe periculorum, et summe vetitum esse velint?

#### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Copioſe, et luculenter dixisti, amice! at illud summe mirandum in aduersariis est, quod perniciem libertatis in philosophando deriuare in Iurisprudentiam contendant, criminati, sublata ad mentem Maiorum philosophandi methodo in universam Iuris scientiam incommodum maximum, atque ruinam irrepturam.

#### PHILOSOPHVS.

Nota haec mihi eorum querela est, qui Scholasticae Philosophiae elementis imbuta sunt mente. Qui fane non possunt ullam adferre causam, cur labefactari putent Iurisprudentiam Philosophorum in philosophando libertate, nisi fortasse dicant, mille spinis, et aculeis mille plenum esse quodlibet causarum genus, ad eas itaque perfecte intelligendas opus esse praesidio peripateticarum qualitatum, quidditatum, formalitatum, reduplicationum, categoriarum, et id genus subtilitatum. At vero nunquam fuit laudi datum Iurisconsulto,



si exoticis illis, et ab humana cognitione remotis vocibus usus est, quas e sublimibus Scholarum praedicamentis, quasi de caelo Empyrio in item adduxit.

Docet istud singularis hodie Summorum, ac Iurisprudentia clarissimorum Virorum industria, qui a Consiliis Avgvsti sunt, et summis Regni Tribunalibus adssident Iudices. Cupiunt certe sapientissimi hi Proceres, ac fortunarum Arbitri, ut Iurisprudentia et summo quodam robore firmetur, et scholasticarum tricarum barbaries ex ea demigret tandem. Non possumus, amice! non transponere ingenti cum grati animi significatione ad immortalem posterorum memoriam inter innumerarum curarum argumenta eam Avgvsti PRINCIPIS contentionem, qua tricas, et barbariem omnem e summis scientiis exulem facit, puritatemque, et nitorem sermonis requirit. Et sane cum voluptate leguntur, atque audiuntur Iurisconsulti, qui claris, et ad publicam cognitionem accommodatis vocabulis complectuntur genus dicendi. Non possumus multos absque omnium memoria in medium adferre, qui et nituntur ipsi familiarem habere nitorem verborum cum aequitate argumentorum, et optant, ut si quid fortasse obscuritatis reperitur ob Scholasticorum loquendi morem in Iuridicis Actionibus, cum candore tandem, et intelligendi facilitate commutetur.

## AMICVS PHILOSOPHIAE.


Vetus haec erat Regum nostrorum cura , qua , quoniam viderunt , peripateticis clamoribus plurimum caliginis adfundi causis agendis , in id incubuerunt , vt barbaries vocum penitus cesseret . M A T H I A S Rex , et Heros Inuictus , dum Beatricem connubio iungeret , ac in Hungariam duceret , magnam simul Iurisconsultorum multitudinem inuexit , qui vnanimes tunc ciuium nostrorum animos adeo corruperunt peripateticis loquendi , et commentandi formulis , vt breui post tempore mutuis undeaque personarent litibus fora , et Tribunalia omnia , quam morum , et animorum corruptelam retulerunt porro ad Regem ii , quibus vetusta sinceritas , et animorum coniunctio cordi erat : Rex continuo exules e Regno iubet plenos illos peripateticis argutiis Iurisconsultos , neque tamen obtinere potuit , vt vetus in iudicando disciplinae facies penitus rediret ; manserunt aculei multi , salebrae , ac minutae quaedam interpretationi unculae , quae vix hodie quoque conuellantur .

Quod cum perspectum mihi sit , fere placebat dicere , non modo necessariam non esse peripateticam philosophandi rationem ad Iuris studium , sed optandum semper fuisse potius , vt nunquam ingrexa in illud fuisse subtilis in philosophando seruitus . At at satius est , tacito solum sinu pre-

D

mere ,





mere, quam publicis credere foliis opinionem, ne audax in sentiendo Philosophus, aut facilis incedendo argutator videar.

### PHILOSOPHVS.

Fidem habe, in libero Philosophiae Regno nihil posse magis eripere veritatem, ac summa quaedam Auctoritas eripiat, quae cogitandi, et ratiocinandi potestatem nulli relinquat. Rationis est, vires naturae scrutari; rationis quoque esse debet, earumdem proprietates, agendi vim, et effectuum causas quaerere, demonstrare, atque stabilire. Haec si fortasse rigidus adhuc veterum Scholarum Satelles aliquis temere dictum a me fuisse, opinetur, iusto quodam dolore correptus, calamitati eius, quod de felicitate hodiernae Philosophiae nihil decerpit, illachrymabor, querarque, in vnum cum eruditiore hominum parte consensum non abire illum ob pertinaciam. *Enim* vero, si tribuendum aliquid humanis ingenii est, nescio, num fieri possit, ut clarissima, et in orbe vniuerso celeberrima hominum ingenia desipient libere philosophando, pauci vero, ac plerumque in conclaue redacti homines inter inumeros soli sapiant, dum ab Institutis Peripateticarum Scholarum ne hilum quidem abscedere volunt. Mihi sane lactandum magnopere est, quod necessariam in philosophando libertatem priuatorum parietum

prae-

praeiudiciis anteponere didicerim: probatur, me  
hercule! faceta illa, nescio, cuius cogitatio: si  
hodie quoque Peripatetici essent audiendi, abie-  
ctis frugibus optimis glandes forent arripiendae.


### AMICVS PHILOSOPHIAE.

Lector et ego vehementer, quod eruditio tuo  
frui potuerim colloquio, Academicorumque vestro-  
rum aestuosam illam audire concertationem, didi-  
ci multa, et roborato pectore in iis, quae opta-  
bam tueri, a Vobis recedam, neque enim esse ali-  
quem existimo, qui non ex ideis, quas habet,  
philosophetur. Ingenue depono opinionem, par-  
tim e variis natam praeiudiciis, partim metu, ac  
vitae circumstantiis ita implicitam, ut cum tacitis  
animi stimulis eam adhuc commutare nequieverim.  
Neque enim proterum me aut natura finxit, aut  
aetas formauit, aut Philosophia iussit. Candidus  
veritatis amor, qui honestum, humanum, et ae-  
quitatis plenum pectus occupare debet, excolen-  
daeque mentis studium palmam merentibus Vobis  
cedit, meque necessitudine mutua, et officiis omni-  
bus Collegio Vestro deuinxit. Vale, Amice!

### PHILOSOPHVS.

Vale - - - At at - - aduentantem huic con-  
spicor aliquem, - - - barba cana, et promissa  
venerationem quamdam praferunt: - - vultu se-

D a uero,



uero, et gradu tardo, ambiguoque incedit, ut  
mos illis est, qui aut animum male contentum pro-  
dunt, aut Sisyphos agunt. -- Theologus est. -- Heu me!  
quantam conspicor tempestatem! utinam  
facili adeo negotio rem cum eo agam, atque cum  
Amico Philosophiae. Litem diligentissime cauebo,  
memor, quanti sit operis negotium, Philosophum  
cum Theologo eamdem ingredi arenam.



## COLLOQVIVM II.

*Prudens Libertatis in Philosophando vsus vindicatur.*

---

### THEOLOGVS.

**A**dduc mihi duodenam Philosophorum, qui salua voluntatis aequitate non patientur, meam me dicere opinionem. Ego enim ita censeo seu de fano Philosophiae vsu, seu de potestate mentium humanarum, ut opinionem veritati consentaneam aequo iure posse in regno Philosophiae depromi, mihi persuadeam. Et certe, si magnus aliquis Newton, Leibniz, Malebranch, Lock, Franklin, Beccarias, aut Boskovich suum audacter eloqui, et publicis iudiciis exponere potuit ratiocinium, aut si vobis hodie cogere in calamum quiduis licet, cur idem mihi non liceat, siue ut te de periculosa, quam intimus sensus docet, multarum hodie opinionum fide edoceam, siue ut me in rectiore opinandi semita confirmem.

### PHILOSOPHVS.

Immo vero nec me quidem alia mente comparatum esse, scito, quam, ut vbi veritas quaeritur, eius in aperta luce constituendae gratia varias suscipi opiniones, et pari iure singulas promi-



oportere contendam , priusquam iniuiolabiliter con-  
cludatur veritas.


### T H E O L O G V S .

Reète contendis ; at videmini libertatem co-  
gitandi ita tuegi , ac statuere , vt vobismet omnem  
eius usum vendicetis exclusis aliis. Vultis enim ,  
vt singuli idem vobiscum cogitent ; nam si quis-  
piam fortasse non consentaneam vestris opinionibus  
tueatur opinionem , seueris in eum calamis , con-  
uitiis , iniuriis , et omni genere calumniarum in-  
surgitis , quae alioquin dum in publicum exeunt ,  
grauiissimae poenae loco haberri debent , qua ideo  
duntaxat dignum me esse , quia vobiscum idem  
cogitare mihi non placet , nescio , an reète cen-  
sueris. Ut libere philosopharis , philosophari te  
oportet , id est ; nec passionum imperio duci , nec  
verum , rectumque proprio placendi studio pen-  
fare , sed e pondere causarum , et nexu rationum  
inferre iudicium , tum illud ad commune quoddam  
fulcrum , quale esse solet Eruditorum contuber-  
nium , reducere , vti eruditas sapere videmus sci-  
entiarum societates.

De ratione verae Philosophiae est , edocero  
secura adminicula veniendi ad cognitionem verita-  
tis , indigitare omnem modum exuendi praeiudicia ,  
declinandi præcipitationem , et id præstandi , vt


nunquam credamus nos potestati passionum, quam in iudicia nostra habent; vestra ex aduerso Libertas, siue potius Imperium passionum non nisi solemne quoddam fraudis artificium est, quo et imponitis hominibus grauiter, et inducitis eos in errorem subtiliter, qui sane error tametsi multo crassissimus, atque perniciossissimus vel propterea difficultius emendari veritate potest, quod in ratione naturali videatur eius fundamentum constitui: non est, nisi artificium insidiarum, quod blanditiis, atque multiplici lenociniorum genere demulcit inclinationem, et propensiones nostras; non est, nisi artificium crudelitatis, quod nos sub eorum potestatem cogit, qui se cordi, et mentibus nostris dominari, cum fastu gloriantur: Artificium, quod loco sanae doctrinae in cogitando, et iudicando, docet nos, coeco impetu adhaerere praeiudiciis aliorum, eorumdem odia, furorem, et natam e prauis passionibus doctrinam sequi, in que verba conuictiorum plena iurare. Pace tua loquar, Philosophe! ad haec capita redire mihi videtur Philosophia vestra, tanto cum strepitu efflorescens hodie, tantoque cum libertatis furore prudentem, et legibus rectae rationis comprehensam Philosophiam detestata.

Neque aliud in huius demonstrationem adduci oportet, quam et scripta, libellosque, quos



nunc praesertim vulgatis, et cor, quo ad eosdem  
edendos adceditis. Non commemorabo eos, qui  
res nobis propinquiores complectuntur, volui nu-  
per libellum vestrae in philosophando Libertatis  
foetum, qui depingit Iudeos, tamquam furum,  
et latronum collectionem, nationem vilem, obscu-  
ram, imperitam, abiecitam, manipulum hominum  
in uno Asiae angulo collectum, opprobrium, et  
fabulam omnium aliorum populorum. Obscro te,  
Philosoph! cui non moueat stomachum illa erudi-  
tio, quae acerbissime, et imperitissime proscindit  
populum florentissimum, qui Iosues, Gedeones,  
Samsones, Dauides, Salomones, Machabaeos, et  
homines maximis virtutibus illustres numerauit?  
quis aequo animo ferat, de hoc populo ita lo-  
quentem audire aliquem, sicut Ioqui solemus de  
turba Cartuschii, et de acie Mandrini? Gentem,  
quae longissimo tempore inquietum opposuit pectus  
omnibus Assyriorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum,  
Syricum, et Romanorum viribus, Gentem, quae  
de fortissimis his populis immortali cum gloria re-  
portauit victorias; Gentem, quae Alexandro M.  
charissima, Regibus Aegyptiis, deinde Cornelio  
Tacito, et Diodoro Siculo summis semper enco-  
miis celebrata fuit, hanc, inquam, gentem, quae  
et fortitudine, et potentia, et insignibus facinoribus,  
scientiisque mirifice floruit, malevolentissime tradu-  
ci, quis est, qui imperturbato ferat animo?


Et



Et quid est , quod crimini ei dari potuit ?  
Supersticio ; id est seuera Religionis disciplina ,  
et cultus Deo debitus : conseruauit enim constan-  
ter Diuinac Reuulationis thesaurum . Dilecte Phi-  
losophe ! tametsi possem quaerere , non quaeram  
tamen , an non idem sit vestrac quoque in scriben-  
do libertatis argumentum ? non dicam , in vestris  
etiam libellis , qui saltem in manus meas incidere  
adhuc poterant , partim furorem liuoris , partim  
mortificatam certis in generibus hominum volun-  
tatem , et passionum vim , partim rigidam , et ar-  
cano Religionis nixam vitae disciplinam in con-  
spectum ita venire , vt sceleris instar vapulet a  
vobis ; id quod si cor bonum , et a passionibus  
immune ostendit , si eruditiois incrementum sa-  
pit , si veritatis lucem adcedit , vindicatae adeo  
opinioni vestrae iubens subscribo , atque liberta-  
tem in cogitando laudi tibi dabo ; sin minus , id  
a te , collegisque tuis peto , vt aut demonstratae  
veritati adsensum cum philosophica ingenuitate prae-  
beatis , aut sistema cogitationum vestrarum sanio-  
ribus consiliis fulciatis , aut Libertatem in Philo-  
sophando ad puriorem normam redigatis .

### PHILOSOPHVS.

Verae Philosophiae munus est , praeiudicia ,  
et scientiarum impedimenta omnia tollere , ac me-  
lioribus vita , morum , et Litterarum adminiculis




emendare, id quod praestari non posse absque eorum offensione, qui eadem inuixerunt, tu ipse vides. Quapropter aut illud vitio nobis a te verti debet, quod necessariam adeo operam locemus in restituendis bonis artibus, aut illud, quod secundum ad radicem ponamus, volo dicere, quod impedimenta Philosophiae, cum primis vero vincula ingeniorum vestris conatibus parta, critico calamo adgrediamur.

Quodsi fortasse vtrumque gloriae plenum, et ad Reipublicae ornamentum, communemque ciuium felicitatem pertinere tibi videtur, quid est? quod conatus nostros praeiudiciis, et seditionis, nescio quibus, animi passionibus obnoxios esse velis? At intelligo, quid sentias: vides nempe optime, imperium vestrum, quod iam ad omnes scientias ita extendistis, ut Theologiam artium, et scientiarum omnium dominam, iudicem, et magistrum esse volueritis, neque aliud quiddam in quocunque scientiarum genere, aut honorum, et officiorum gradu recte iudicari posse, contendenteritis, nisi vestro arbitrio subiiceretur prius, imperium, inquam, hoc vestrum, tamquam praecipuum quoddam Bonarum Artium impedimentum, a nostris calamis, dum insigne restituendarum Litterarum negotium agimus, liberum, et immune esse non potuisse tacite sentitis, quamquam eloqui per-

perhorrescatis. Libellos quoque nostros , tamquam totidem praesidia nostri in emendandis litteris studii , et industriae oportuit saepe , ac iterum audacioribus completi animaduersionibus , neque enim existimamus, euellere posse nos errores aliter, atque fortius configendo cum auctoribus illorum; vis vi repellitur , insidiis infidiae admouentur , armis arma opponuntur; videri itaque tibi debemus , aut vicem pro vice reddere , aut clavum clavo excutere , aut id ipsum agere , quod inter homines actum semper fuisse , obseruamus.

## THEOLOGVS.

Audi me tantisper : quandoquidem liberum in regno vestro est : opinari , sentire , concludere , auctor vobis sum , vt ante oculos semper habeatis ; hominem prudenti , rectoque vsu praeditum non posse abuti veritate , quam nempe non animo perturbato , non praecipiti impetu , verum potius opportune , ac discrete dici oportet. Commonefiat mulier , alioquin timida de vitae periculo , quod forte ingressa est , verbis incautis , ipso hoc periculi nuncio perturbatum iam sanguinem praecipitatura , mortemque sibi acceleratura est ; ex aduerso proponatur illi spes aliquantula vitae , et superandi periculi , poterit illa non mediocre esse conseruandae valetudinis adminiculum. Si accepta fama perdita per Varronem pugnae ad Cannas ,  
con-



continuo clamorem sustulisset Senatus, inque foro medio edixisset: desperata res est, Romani! vieti sumus! Annibal prostravit aciem nostram! nonne dici potest, populum Romanum aucto metu non aliter demigraturum fuisse Roma, atque caesis ad Alliam per Senones copiis demigravit? at, quoniam sapientissime dissimulato vero metu nouas vires colligi praeceperunt, inimicum porro magnanimitter fregerunt. Tempus, me hercule! modusque opportunus quaerendus est, ut veritas explicetur, ne eam discrimini exponamus inconsulti, neue triste quoddam incommodum ex ea consequatur, si non apto, neque prudenti modo propo-  
natur.

### PHILOSOPHVS.


Amice! quoniam veritas odium parere puteatur, si fortasse periculi quidpiam pollicearunt eius circumstantiae, dissimulanda plerumque est potius, quam apertis verbis vltro dicenda, nunquam tamen falsi vice commutanda, aut negligenda. Quis enim existimet, nobilissimum creaturarum genus, hominem iudificationibus regi, et ad beatiorem duci posse fortem? quis inducat animum, ut credat, oportere societas humanas aut pieta veritatis imagine Iudi? aut melle illitis infidiis capi? quis putet, ipsas Respublicas, et Imperia tunc feliciter gubernari, quum aut veritas sive falsitatis ima-

imaginem condi debet; aut falsitas cum ficto veritatis merito in publicum euolare? cui videatur aequum, summa auctoritate securum hodie reddi hominem, cras incerta omnia fieri posse? Veritas sacrosanctum Auctoris naturae in mente humana depositum est, sicut igitur temerarias in eam manus iniicere, nefas est, ita falsitate temerare, scelus. Evidem haud largitus fuero, adnexam esse veritati occasionem animi corrumperi, id quod hypocriticis, fanatismo, et enthusiasmo correptis saepenumero videri solet. Regimur veris rerum perceptionibus mortales, quod amor sapientiae, et inexhaustibile sciendi studium testatur: cur igitur necesse sit, natuum auferre delicium menti? Pone in aprico veritatem, et in omni bene moratorum, ac eruditorum hominum consortio viri honesti characterem, et gloriam consequutus es. Nisi fortasse existimes, deteriores nos fieri veritate, quam certe opinionem, donec homo, et Philosophus sum, semper alienam a me putabo.

## THEOLOGVS.

Veritas bene exculto iudicio, et animo probe instituto exhibita nec mutatur, nec periculum habet, scio; at animo rudi, imbecillo, claris rerum notionibus, et principiis Religionis nondum stabilito, sic incerta nimis imagine consuevit re-

prac-




praesentari. Actati igitur, loco, et personis prudenter commensuranda sunt ea, quae dicuntur. Scis alioquin egregie tu ipse, iudiciorum nostrorum veritatem haud infrequenter pendere a circumstantiis; sit iudicium: DECORVM EST, VARIOIS BELLI EVENTVS NARRARE; tametsi consentaneum est vero in se, restrictum tamen ad Belliducem, qui in eodem belli theatro adfuit, falsum redditur. Quis enim risu non accipiat eum, qui summo Belliduci euentus belli narrat? ita prorsus de libertate mentium humanarum tenendum est. Non inferior, innatam eam illis esse, at non vbiique, nec incaute usurpari debet, neque paruuli immaturo alioquin iudicio ad eamdem excitandi sunt, ne in abusum conuertant. Feruntur, non nego, nativo veritatis desiderio mentes humanae, at imbecillitate etiam nativa vehementer retardantur a cognitione veri. Et certe si immensam illam errorum seriem, quae nos manet, contemplor, intelligo, errandi facilitatem, coecasque ignorantiae tenebras constans, et ambitionem super nobis tenere imperium, proinde seditioni esse ingenii in iis subuertendis scrupulosius versari, quae usus longus docuit, minus iacturae habere, noua quacunque disciplinae facie, quae quid emolumenti adlatura sit, euentui creditum est. Hanc igitur mentis imbecillitatem mutuis studiis adiuuandam esse, ipsa requirit

quirit aequitas. Non est, non cognitio aliqua, quae ab omni errore libera foret. Cui humanorum ingeniorum forti, quoniam communis sit, iusto quodam modo illachrymandum potius est, quam vesanis lenociniis, et quaesita veritatis imagine illudendum, aut quod tristissimum est, arma suppeditanda, quibus error cumuletur.

## PHILOSOPHVS.

Quorsum ista, mi Theologe! videris incredibilem illam praeiudiciorum vim ire euersum, quae sola est apud vulgus praesertim indoctum ratio sufficiens superstitionum quarumuis? aut fortasse ingentem illam admirandi propensionem placet adtingere, quae ad omne id, quod magnitudine, potentia, auctoritate, et raritate sua perstringit oculos, rapere solet animum, ac, quoniam portenti, nescio cuius, imaginem mentitur, pene ratione periclitari nos iubet in adsentiendo? an aduersus dominium illud passionum struis machinas, quod tanta potestate infidet animis nostris, ut quidquid maiestatis, ac mysterii plenum nobis exhibetur, praesertim si fortasse diuinitatem habeat adiunctam, in imos cordis recessus penetrat, ac porro Fanaticis simillimos nos reddat? haec, inquam videris innuere velle, nam hi sunt praecipui errorum fontes, quibus integri saepe

popu-



populi, et summo ingenio viri ad fabulas agendas compelli putantur.


### THEOLOGVS.

Amice? adcessisti omnino ad id, quod alto adhuc pressi pectore, non tamen luculenter explicuisti: id ipsum dicere cupio, quod te in criticas nunc posuit coniecturas. Dicam aperte; *Ingeniorum Libertatem*, quae Philosophos vos incredibili vi ductat, et ad miras de omni hominum ordine, atque scientiarum genere coniecturas capiendas inflammat, iustis querimoniis porstringere cupio, nisi aut molestus tibi sim, aut virulentas in castra vestra manus intulisse iudicer, id quod tantum a me abest, ut magnitudine doloris confici, ac extingui malim, quain ingenio plenis conatibus vestris obsistere, aut quae ratiocinia sublimi arte ducitis, eadem ad incudem solide vocare. Noui ego vos, noui mentem, animumque vestrum, probe intelligo, ita comparatos vos esse, ut ratiocinia nostra, etiam firmissimis nixa principiis vel ideo nullius esse ponderis existimetis, quia a Theologo proponuntur. Cur igitur litus arem? cur grande istud praeiudicium ex animis vestris exterminare contendam? cur arenam inter enses? controuersam litem inter acerbissimos, quos in nostra conamina acutis, calamos agam? non ita sum temerarius, non ita in

vestram eruditionem inflammatus, non ita in me ipsum iniquus; immo nec illud tento, vt propitiā conatibus vestris *in Philosophando Libertatem* senatorie condemnem; miti sum animo, at veri cupido, eius causa tu tuam, ego meam agemus personam. Illud nihilominus oro te, vt liceat mihi pace tua, subinde animi vulnera pandere; quippe nosti egregie, collatis cum Amico querelis, tametsi pro medicamine consolatio nulla fuerit adhibita, mitiores tamen fieri quoscunque doloris acaleos.

### PHILOSOPHVS.

Non potui imaginari, eam Libertati Ingeniorum inesse potestatem, vt viros graues, et sapientia conspicuos perturbare, vel excruciare possit, aut intolerabili, nescio quorum, errorum suspicione morari, quae porro animum vulneribus confodiant; ad hoc mihi persuadendum, nunquam adduci me posse existimavi; quandoquidem optimarum artium, et totius humanae eruditionis ratio postulat, vt ingenia liberis agant conatibus, quos vobis quoque ita familiares esse, intelligo, sicut nos intendimus curam omnem, vt pulcherrima humanarum mentium vis in cogitando nullum capiat detrimentum. Certe Vulnera animi tui aut nimiae pusillanimitati tribuenda, aut communi Theologis vobis studio, quo conatus Philosopho-



rum omnes fugillare consueuistis, sine dubio adscribenda sunt. Philosophicum gere peccus, praeiudicia inficetae plebi relinque, rationes opinionum expende, et nascentem in mentibus humanis lucem contemplere!

### THEOLOGVS.

Nempe hanc inducitis laruam libertati vestræ, vt occultum virus caute porrigitatis.

### PHILOSOPHVS.


Non intelligo, quid velis.

### THEOLOGVS.

Agam, vt intelligas. Dum ad prima nascentis Ecclesiae tempora mentem reduco, video luctuenter, audaces Philosophorum pugnas, etiam ad defendendam diuini Euangelii veritatem initas detrimenti plurimum aduluisse Religioni; enim vero in medio depugnantium aduersus Christi doctrinam gentilium Philosophorum viri, defendenda diuinæ veritatis ardore perciti, saepe ad Philosophiam adcesserunt armorum capessendorum causa; vnde enata fuit occasio, vetustam Patrum industriam, laboresque pro tuenda Religionis integritate susceptos cauillandi, quasi nempe intemeratam Euan geliorum fidem cum Philosophicis placitis confuderint, neque aliud fere probari illis cooperit, quam

quam quod Plato de Deo , ac diuinis Attributis  
mēmoriae prodidit , aut peripateticae subtilitates  
euicerunt , quod vtique et audax , et periculōsum  
omnino est , quippe vehementer minuit omnem in  
priscis Patribus Doctrinae Sanctitatem . Etiam in-  
gens illa puritatem Doctrinae Christianae e vetu-  
stis litibus educendi difficultas ex hoc Philosopho-  
rum ardore , et per diuersas interpretationes de-  
currendi libertate fuit consequuta , vel propterea ,  
quod Doctores Ecclesiae plerumque Platonica cum  
Aegyptiacis miscerent . Libertas igitur haec , nifus-  
que varias fingendi opiniones si hodie quoque , vt  
caput effert , liberis passibus progredi , ac in ore  
Philosophorum omnium considere possit , certo de-  
testandos vehet euentus , id quod eo audacius di-  
ctum a me sit , quo Iuculentius intuemur iam co-  
rumdem euentuum initia , libellis vestris expressa ,  
immo coeptum ita furere incrementum , vt Sum-  
mum Tribunal magna contentione , magna que  
cum attentione euigilet in illis modo prohiben-  
dis , ne serpat malum , modo tolerandis dunta-  
xat , ne nascatur legendi cupiditas in animis , qui  
magna , et solida quaerunt sciendi principia .

Non est vitae Institutum , non est scientia-  
rum genus , non est argumentum cogitandi , in  
quod censoriam virgam non intendatis , vt omnia ,  
quae vestro non sunt aestimata arbitrio , profligetis




sub illustrissimo sapientiae, ac beatioris cuiusdam fortis praetextu, audetis omnia, coelum ipsum petitis, vt nos ab audendo deterreatis. Fidem habe, mi Philosophe ! quamquam fidem tuam implorare non debeo ; nosti enim tu ipse Iculenter, quam primum libertas cogitandi, et ratiocinandi mentem hominis occupauit, continuo ad ea scrutanda se confert, quae a lumine rationis, et acie ingenii remota esse voluit Deus, Religionisque suae dogmata constituit ; nouitatis enim studium, menti innatum conquiescere non potest in iis sciendi argumentis, quae aut comprehensa iam sunt, aut comprehendendi magno studio posse, putantur, verum ea pertentat, quae quoniam impossibilia sunt cognitu, creduntur solum. Ad haec igitur dum euolant mentes humanae, sciendi desiderio incitatae, viribusque suis confisae : perditio redeundi tramite ibi conquiescunt, vbi lumen duntaxat naturae habet locum.

### PHILOSOPHVS.

Vi luminis naturalis, non arbitror, mi Theologe ! ita constitui rectam rationem, vt in negotio Religionis froenos illa sibi nullos poni patiat, ignoretque summam in Deo potestatem multa faciendi, quae clausi in obscuro hoc corporis carcere intellectus acie superari nequeant, id quod vel e nostris philosophandi regulis certa quadam lege

Lege moderari debet humana in indagandis re-  
rum causis, ducendisque ratiociniis industriam.  
Certe non absoluimus nos ab omni prorsus crimi-  
ne furiosam eorum temeritatem, qui cogitandi li-  
bertatem ad arcana Religionis dogmata siue debi-  
litanda, siue scrutanda adhibent. Libera ingenio-  
rum vis arcana naturae scrutatur, et explanat,  
fidei relinquunt Mysteria Religionis. Innumera sunt  
exempla, quae satis, superque declarant, non  
modo coecutiuisse, verum etiam grauissime erra-  
uisse humanas mentes in iis Dei operibus, quae  
soli ingeniorum acumini sunt quidem relicta, co-  
gnoscere tamen haud potuerunt, immo pugnare  
secum putauerunt. Quis est? qui neget, fuisse  
aetatem, in qua Philosophi ipsi Antipodas igno-  
rarunt, alii repugnare docuerunt, propterea, quod  
acie mentis adtingere non possent, quomodo in-  
cedant homines pedibus nostris obuerso pede.  
Quis est? qui neget celeberrimam illam telluris cir-  
ca solem revolutionem penitus ignotam, et tamquam  
impossibilem fuisse habitam paullo retro seculis,  
quam tamen nuper Philosophorum industria, et  
audendi libertas feliciter detexit.

Quae sane, et plura id genus eruditionis ca-  
pita et nos ignoraremus, et posteros aeternum la-  
terent, si Maiorum ingenia ea duntaxat potuissent  
adtingere, quae aut Plato, aut primis seculis summi




Antistites ad tenendum, sciendumue decreuerunt; an non insigniter demens fuerit ille, qui coecus natus, colorum varietatem, adcessum ferri ad magnetem, erumpentes e globo vitreo scintillas, radiantem in omni coelorum regione stellarum multitudinem ideo negaret, quia oculis eius eripiuntur? haud aliter, non libere philosophari eum dixero, qui mirabilia Dei opera, Religionis dogmata, et quamcunque morum disciplinam aut cauillari, aut labefactare vellet propterea, quod singula cognitionem eius penitus fugiant? Non ille Philosophus, sed impudens scientiarum pestis foret. Quare non adeo dissimilis mihi met sum, vt dum libertatem Philosopher vendico, coecam, et impunem quamdam seu Religionis vellicandae, seu morum corrumpendorum, seu quidquid lubet, pernegandi audaciam probem; illud duntaxat contendeo, in rerum naturalium examine, et in quibuscunque scientiarum argumentis nullo metu, nulla lege, potestate nulla vinciri debere humanas mentes, vt pote quas natura ita comparatas esse voluit, vt alienum in operando imperium penitus detrectent. Hinc fit, vt et voluntatem eorum maximi faciamus, qui de merito, atque dignitate libertatis in cogitando nos edocent, et nos ipsis liberis conatibus in eiusdem amorem tanto magis accendamus, quanto rigidius vincimus in eius consequandae studio. Ego subinde inficiatus haud fuero, nimia sentiendi, et

loquendi libertate multas induci haereses, gra-  
uenque morum corruptelam, at tu quoque dabis,  
opinor, nimiam ingeniorum seruitutem in varias  
superstitiones, et bonis moribus, immo et Reli-  
gioni periculosos abusus delabi. Quapropter dan-  
da est hominum mentibus ea cogitandi, et cogita-  
ta sua depromendi libertas, quae illas a malo hoc  
maximo immunes conseruare possit, prudentemque  
ab omni tamen metu, et auctoritate solutam re-  
rum naturalium scrutationem admittat; secus alio-  
quin nec scientiis incrementum, nec populis no-  
men, et gloriam in orbe celebrem adcessuram pu-  
to. Perspicuum est, vim humanarum mentium  
magno nisu, et liberis conatibus acui.

## THEOLOGVS.

Scio, quin tu in medium adducas, ac vehe-  
menter doleo etiam, varias a vobis superstitiones  
opponi nobis, e quibus esse vultis osculum bene-  
dictarum particularum, usum aquae benedictae,  
Ritus faciendi sacrificii, et id genus plura; qui  
sane vel propterea abuti ingenio videmini, quod  
ea duntaxat, quibus Religio Catholica locum dat,  
conuicti emini, damnatisque, immemores, nullam in or-  
be religionem, nullam hominum societatem inueniri  
posse, ab omni abusu, et naeuo liberam. Capti igit-  
ter vehementer praeiudicio cogitationum aut non  
remittitis mentem ad abusus, quibus religio, quam




Philosophicam profitemini, magnis, et innumeris  
scatet, aut eiusdem dignitatem quibuscumque aliis  
religionibus praestare rati, tela in nos vnicos con-  
uertitis, aut denique ambitione ducti miscetis ritus  
cum dogmatibus nostris, haec rursum cum profa-  
nis scientiarum capitibus, atque ita susdeque ra-  
tiocinando misere deficitis, omnia mouendo, in  
incertissimo loco relinquitis siue vestra, siue no-  
stra mysteria. Nunquam probe iudicare, ritusque  
Ecclesiae Romanae recte censere videtur eorum in  
cogitando libertas, qui ita sunt comparati, ut sua  
omnia probent, aliena cuncta damnent; quippe  
semper amore proprio, et turpi in ceteros passio-  
ne agitati ad iudicium adcessisse putantur, neque  
agunt, ut libertatem, ingenii humanis debitam  
stabiliant, sed ut in mores optimos, ac religio-  
nem flammatas iniiciant manus, quod alioquin per-  
niciem maximam esse, et incredibile libertatis de-  
trimentum, facile perspexeris; vt ne ego quidem  
proterius adeo esse volo, ut negem, dandam esse  
ingenii humanis aliquam in philosophando liber-  
tatem: subinde tamen patieris, me aliquam requi-  
rere Auctoritatem, qua cognoscendac veritatis ius,  
et cupiditas homini insita temperetur, Legique  
naturae satisfiat, quae humanas societas mutuo  
iure ligat, studiisque collatis saluas, et incolumes  
conseruari iubet. Auctoritatem ego hanc in diui-  
nis Litteris, et iudicio Ecclesiae repono, quorum  
vtrum-

vtrumque et incolumentem religionis saluam conseruat, et in proprias caedes armatos populorum enses componit, et Respublicas perpetuo foedere coniungit, et communem ciuium salutem extra discrimen collocat.

Ab hac temperandae libertatis regula si Hæcresiarchæ, et libertinorum proteruiores nuper non defecissent, nihil incommodi nos mansisset, nulla perturbatio in Respublicas irrepisset, nulla inter homines animorum conuulsio, et mutui amoris iactura nata fuisset; nunc quoniam suo ipsi ingenuo omnia arbitrati sunt, et partim odio incensis, partim voluptatum lenocinio inescatis animis primordia doctrinae iniuerunt, ideo tot, ac tam cruentis saepe bellis gentes commiserunt, regna, ac prouincias perturbarunt, immo diuinam quoque Religionis Sanctitatem confuderunt, atque morum disciplinam detestandis revolutionibus perdiderunt. Nihil luculentius est, quam certa auctoritate destitutum libertatis usum in perniciem facile demigrare posse.

### PHILOSOPHVS.

Quod de auctoritate diuinarum Litterarum meministi, de eo ita iudicandum tibi est; habet tantum iudicij Philosophus, vt *Libertatem in Philosophando* sive dictum rectae rationis in inquire-



da veritate earum rerum, quae nostro subiectae sunt ingenio, non extendat ad ea, quae infallibili verbi diuini auctoritate nituntur: illud autem certum est, licere in profanis artibus, et scientiis ingenia nostra eo adducere, quo motiuis luculentioribus fuerint incitata; quippe humanorum ingeniiorum est, veritatem tanto securiorem reddere, quanto feliciore valent indagandi, et veri cognoscendi potestate. Sines, suauissime Theologe! vt tui causa tantisper ultra limen Philosophiae egrediар. Numquid Deus eum ob finem instruxit nos intellectu, vt vires naturae in pertentandis rerum causis, acriter periclitati mentibus excolendis diligentissimam impendamus operam? prudenter cauti, ne poena *serui nequam* plectendi iudicemur, qui austерitatem Domini sui veritus reposuit *Mnam suam in sudario.*


Potest et illud in memoriam reduci e serie prisorum temporum, ac praesertim ex Annalibus Reipublicae Romanae: paullo post auream Augusti aetatem, et Seruatoris nostri aduentum omnes pene scientias intercidisse adeo, vt penitus extinctae putarentur ad Sec. fere XIV; Religionem vero Catholicam crudelissimis subinde tempestatibus fuisse agitatam, id quod homines propensioribus in Religionem animis tantopere inflammauit, vt partim aperta illius confessione furorem Tyrannorum

rum magnanimititer componere, partim scientia, et eruditione Sacra aduersus Gentiles Philosophos tueri Ecclesiam studerent. Non poterant igitur profana quaecunque scientiarum genera magnis contibus adtingere, aut excolere, immo Philosophiae, si fortasse paullulum eam arripuerunt, non maiore diligentia se se impenderunt, quam Ecclesiae defensio postularet. Quapropter non possum, amice praeiudiciis adeo deditum te existimare, ut Patres Ecclesiae tametsi vitae Sanctimonia et Sacra eruditione clarissimos, tantum in Philosophia, cui vix se tradiderunt, auctoritate valcre putas, quantum summos eiusdem Statores: Galilaeum, Verulamium, Cartesium, Newtonum, et Volffium, qui omnem aetatem, et industriam in rerum naturalium contemplatione adtruerunt. Profecto sicut horum, aut quorumvis de Philosophia egregie meritorum virorum auctoritatem nullam esse, scio, quum aduersus reuelatum Fidei Mysterium e principiis soli naturae consentaneis ratiocinantur; ita persuasum habeo, summorum Ecclesiae Patrum vocem non posse Newtoni, Volfsi, aut cuiuscunque maghi Philosophi sententiam conuellere, nisi rationum quoque pondere longe illis excelluerint.

### THEOLOGVS.

Salua ergo iam res est, nec quidquam perculi supereft porro in fana philosophandi libertate.

P HI-



## PHILOSOPHVS.

Neque eam mihi mouerit opinionem aliquis, vt putem Spiritum Domini ad omnem Philosophorum opinionem euertendam datum fuisse Patribus, sicut in defendendis Reipublicae Christianae moenibus eosdem nunquam desstitutos fuisse diuino praefidio, fateor. Enim vero, vide, vt tibi faueo, quemadmodum omni tempore innumeros nostra est hostes vna Aeterni Dei Religio, ita potentissimos heroes pro eadem stare oportuit; quorum vnum Annales docent, alterum diuina Promissio euincit. Etiam Generalium Conciliorum auctoritatem ad ea, quae nunc differui, reducendam censeo, Amice! cur enim pronunciet Concilium aliquod aduersus figuram telluris, causam grauitatis, et opiniones eius generis alias? quae tametsi acerrime, tamen absque morum discrimine disputantur apud Philosophos. At at, nolim, vt proternum, vel temerarium me iudices, suauissime Theologe! audi, quam recto me tramite in campis vestris ducat ratio, et a passionibus liber sanioris eruditionis sensus. Ea, quae Religionis caput, et bonorum morum disciplinam comprehendunt, aut infallibili Reuelantis Dei Auctoritate constant, numquid? aut inuentionibus, et argumentationibus humanorum ingeniorum declarata, nobisque proposita sunt: si primum, alioquin cui sana est ratio, ita censet, vt tametsi mentis aciem,


omnem-

omnemque comprehendendi potestatem superent, adquiescat tamen illis, probe gnarus, et diuinam Reuelationem nullis prorsus erroribus obnoxiam fieri, et opus haud esse diuina Reuelatione in iis, quae sola nituntur perspicacia: si alterum; non prius dandam iis fidem existimo, quam ad leges rectae rationis, et sanae Logicae reuocentur. Quippe nihil potestatis habere possunt in mentes nostras aliena ingenia praeter robur rationum, quibus vtuntur. Quis est? qui mihi dicat; ne cogitaueris, nisi quod ego cogitare te, doceo, volo, atque iubeo.

Vis mentium nostrarum tanta est, vt imensa terrarum interualla momento percurrant, et vel inuitis nobis cogitent. Minas, vincula non perhorrescunt, quemadmodum nec praemiis adducuntur, vt innatam cogitandi vim non sentiant, aut penitus extinguant, id quod fatis mihi videatur ad illud, vt te ab omni ploratu, et ea liberalitate cohibeat, qua nos condemnas diligentissime.

### T H E O L O G V S.

Dicendum, quod res ipsa postulat, mi Philosoph! solent rationes vestrae pulchrarum potissimum cogitationum pigmentis placere, incautisque irretire, vltro fateor. Probatae illae mihi quo-




quoque fuerunt nuper; at, quoniam penitus perspicerim malum illud, de quo et questus saepe iam fui, et queri nunquam desinam, substraui omnem ingenii vim Ecclesiae, Principis, et eorum, qui mihi praesunt, Auctoritati, satius esse ratus, periculum erroris, si quis fortasse possibilis est, cum his inire, quam cum libertate vestra incertam aequi, bonique aleam ludere. Interim quibus cogitationibus coepisti commendare libertatem ingenii, prome, audiam.

### PHILOSOPHVS.

Artes, et scientiae ita fere comparatae sunt omnes, ut earum progressus, diuisiones, et articuli singuli ab humanis pendeant ingenii, verum hoc huic, paullo aliter illi se habere, ceteris a vero prorsus aberrare, vel etiam labente tantisper tempore veritas in errorem conuersa videatur. Varietas huiusmodi neque poenae metum, neque censoriam potestatis ullius virgam sustinet, immo Philosophum nec crimen aliquod, nec honoris periculum manet, seu hanc, seu illam opinionem amplectatur, modo temerarium nihil, suisque rationibus destitutum velit tueri. Porro si historicas, medicas, astronomicas, physicas, geographicas, poeticas, aut cuiuscunque generis disciplinas alias considerem, inuentionibus vnice, atque opinionibus hominum stare singulas deprehendo,

id

id quod luculenter omnino loquitur, libera esse  
oportere ingenia in iisdem siue retinendis, siue  
commutandis, siue hoc illoque modo excolendis,  
aut penitus abolendis. Quapropter non existimo,  
inficias te iturum, vnicam hanc humanae pruden-  
tiae legem sequi nos oportere: posse ingenii no-  
stris dari, ut sentiant in bonis artibus, *quod est  
magis lubeat, et verum, aut vero videatur similius.* Murat. Immo ad libere pertentanda haec  
scientiarum genera, earumque capita singula, in-  
ditum illud gloriae desiderium inflamat nos, at-  
que impellit, quuius vi et insignem aliquam no-  
minis celebritatem in orbe adipisci cupimus omnes,  
et praemio hoc, aestimationeque publica destitui  
aegre ferimus singuli. Quae vero prouincia? quod  
studium? quae gloriae huius consequendae occasio  
superesset nobis? si idem semper dicendum, idem-  
que cognoscendum foret singulis, quod aliis quis-  
piam dixerit iam, cognoveritque? An nos quo-  
que talpas esse oportet, quia maiores tenuerunt  
nihil nos intelligere, necesse est, quia tu omnia sa-  
pientissime videre, tibi videris? iniquus procul  
dubio in se, iniquus in patriam, iniquus in Rem-  
publicam est, qui nunquam melius, nunquam per-  
ficius, amplius nunquam sapere studuerit, atque  
sapuisse visum iam fuit aliis, iniquus in societa-  
tem humanam est, qui sapere alios ultra id, quod  
ipse




ipse sapit, prohibuerit; quis autem sapuerit sine libertate in philosophando? studiosa hominum in audendo prudentia sicut initium fecit, ita perfectionem quoque, et progressum adtulit eruditioni, cui sicut nulos te limites ponere velle sentio, ita optime perspicio, nolle te, vt de suscepto amplectendae, ac defendendae libertatis consilio disturbari me patiar.

### THEOLOGVS.

Egregie sapis mi Philosophe! at necessum est tamen, vt cupiam, in maiores nostros majori te veneratione ferri porro. Nam ego nihil iniquius excogitari, atque in maiores nostros committi posse puto, quam omnem rectac raticnis usum, iudicium omne, et sapientiam illis auferre; quid aliud istud est, quam patrios foedare cineres? id quod Horatius scelerati hominis notam esse voluit. Circumstantiis temporum reguntur mores, conatus, et sapientia hominum; sua quippe sunt aetati cuilibet studia, consuetudines suae, ac prae-iudicia. Actas, quam maiores nostri egregiis facinoribus ornarunt, eosdem humanae sapientiae modos, et fines requisiuit, quos illi re ipsa et magno consilio adtigerunt, et ad communem ciuium felicitatem perfecerunt etiam. Viderunt illi plurima, immo ea pene singula, quae ad Iustem Reipublicae pertinere iudicabantur: profecto

fecto non poteramus nos in hac tempora, a ioin-  
quin longe felicissima incidisse, nisi illi ita sapui-  
sent, vt nobis felicitatis campum praepare no-  
uisserent. Grande est praeiudicium Philosophie! pri-  
scos mores damnare, vetustatem mole sua colla-  
psam arbitrari, homines seu multis retro seculis,  
seu paullo superioribus annis egregia meritorum  
gloria commendatos, hodie ignorantiae, atque ru-  
ditatis arguere; se ex aduerso acutissimum, qui  
supremum sapientiae apicem teneat, reputare, sua  
consilia tanti ducere, vt illis nihil rectius, aequi-  
us nihil, atque acutius ab ullo mortalium dici iam  
possit, iudicia quoque sua tanti roboris esse, velle,  
vt nullum in humano intellectu lumen adcen-  
di possit, quod sapientius videat, perfectiorem  
que felicitatis viam doceat. Quapropter e pro-  
prio duntaxat cerebro sapere, grauissimum esto  
praeiudicium, id quod vestrae libertatis thesau-  
rus est; immo velle quidem libertatem in philo-  
sophando statuere, nullius tamen iudicio honorem,  
et pretium tribuere, atque ab aduersa opinione  
arcere, praeiudiciorum omnium maximum vtique  
praeiudicium est, quo libertatem sentiendi omnem  
supprimi, ac funditus euerti, tu ipse acute per-  
spicis.

Quare aut pro libertate in philosophando o-  
peram te locare, nega, aut omnium eorum, qui




audere volunt, praesertim si vsu rerum, consilio, et experientia graves sint, iudicio, et sapientiae tantillum tribue, vt suscepitos vindicandae libertatis conatus tuos ab omni partium studio, et grauissimis praeiudiciis aliis eximas, atque Philosophi meritum sustineas. Deinde necesse videtur mihi, grauissimum illud, et nimis pericolosum incommodum adducere, quod aetas nostra experita saepe est; nempe studio artes, et scientias tentandi eam libertati fieri potestatem, vt asuesta iam liberis passibus ingenia vltra positos etiam scientiarum limites euagari, ac in morum, et Religionis negotia se se penetrare contendant. Recordor multorum, qui quoniam philosophicam praetulerunt libertatem in cogitando, gloriae, et honori sibi duxerunt, intollerabili quadam audacia inuehi in Viros summa dignitate, summisque Ecclesiae Honoribus ornatos, quorum nomini, atque auctoritati parcer, si non ratio libertati vestrae iam subiecta. Politica tamen, quae barbarem Honorum populandorum audaciam compescere solet, profecto postulat. Multorum recordor, qui furorem libertatis in viros Apostolicos liberalissime effuderunt. Me hercule! non potest, siue in honorem Diui cuiuspiam, siue pro commendatione virtutis aliquius adsurgere Orator, quin virulenta libertatis vestrae tela perhorrescat, caute quidem, ne a le-

Etist.

Etissimo illo Censorum Collegio reprehensionem ferant, per pagellas tamen, pro more caeruleas ex insidiis euibranda.

An non triste esse debet viro, cui lectio longa, et exercitium diuturnum, et labor assiduus praemio, ac publicae existimationi dari deberet, improbis eorum cauillationibus exponi, qui in scientiis plerumque peregrini animo leui, et immaturo iudicio, nullo se argumento eos adhuc praestiterunt, quibus et ars dicendi, et facundia sermonis, et eruditionis soliditas in penum iam collecta sint? eo nemp̄ perfectionis, si diis placet, euixerunt libertatem cogitandi homines isti, vt nulla, nisi quae Sanctorum cultum extenuauerit, morum disciplinam labefactauerit, ac Religionis dogmata ambigua fecerit, probetur illis oratio.

Multorum recordor, qui nefasta scribendi audacia tristissimas iam lachrimas expresserunt ex oculis proborum; corda plurima fero libertatis i&tu sciderunt, ac inconsolabili moeroris tabe confecerunt, honesto vitae praesidio in discrimen vocato famem, sitim, ac miserrimam pati coegerunt egestatem, haec nimirum est perfectio status ciuium, quam libertas ingenii vestri parit, haec felicior hominum sors, hoc scientiarum omnium incrementum: Scholae nostrae iugo libertatis vestrae




nondum vinclae naenos hominum emendandos docent summa suavitate, prudentia, consilio, proteruos tandem, et sapere nescios castigant, plebunt, ac puniunt quidem, sed absque furore, absque vindictae studio, cuius norma semper priuatum commodum est, absque extrema egestate, quae nobilissimam hominis conditionem, humanitatem ipsam brutorum conditione longe inferiorem efficit. Scholae denique nostrae dum poenam ferunt, humanitatis imbecillitatem, summis iuxta et infimis communem prae oculis ponunt, et mitigandi potius porro mali, quam cruciandi hominis causa poenam decernunt.

Recordor et eorum, qui quoniam aestu libertatis et acumine ingeniorum correpti, multa videbunt in Sacris Litteris, quae in Physica, Astronomia, Chronologia, Historiaque profana agitari, et determinari solent, fidem, atque auctoritatem eorum infringere ausi sunt; ut ita malum maximum libertatis toti Ecclesiae commune efficiant, inquietentes: Deo nunquam curae illud fuisse, ut profanam hominum cognitionem, friuolamque rerum naturalium scientiam vlli mortalium reuelet. Scio, ex huius modi schola produisse Arminium, et Episcopium, docentes: Scriptores Sacros in minoris momenti rebus, ac iis, quae ad fidem minus pertinent, et memoria lapsos fuisse, et igno-

rantia laborauisse; vnde porro intulerunt: Sacris Litteris raro, et non nisi magna cum cautione fidem dari oportere, id quod a te minime probari, nullus dubito. Neque enim moribus, atque Religioni maius malum adcedere posse, puto, quam Sacras Litteras *imposturarum* instar traducere, explodere, et despiciatui habere, quas veritatis, atque fidei regulam esse oportet.

Me sane substrata iam Ecclesiae Auctoritati ratio ita de his profanarum scientiarum Capitibus admonet, ut existimem, ea aliter esse non posse, atque per Sacros Scriptores memoriae prodita sunt, praesertim cum et omnes illas veritatis notas, quibus profanorum scriptorum fides stat, et longe ampliores alias habeant, in Naturali Theologia luculenter contentas. Proinde video, certa quadam ratione ad fidem pertinere, vtpote, quoniam, si illa falsi crimine fuerint damnata, veritatis aeternae fons ab errore immunis haud fuerit, id quod ne vobis quidem sanum, et probatum est. Non adferam ultra in testimonium, roburque doctrinae meae opiniones illas, quas sola philosophandi libertas peperit etiam apud Catholicos Philosophos saepenumero, ea inducta veri imagine, ut Doctrinae Euangelicae consentanea viderentur; non adtingam, haberi per multos liberrime cogitantes, ac pro Iubitu suo ratiocinantes pro insidis



Doctrinae Iesu testibus Patres Ecclesiae omnes, quasi eamdem depravent, interpolatis textibus viuent, ac rudi populo venditent, horum nihil nominabo nunc, ne aut tibi molestus, inuisus sim, aut nouam sermocinandi faciam necessitatem. Itaque in scientiis etiam profanis acquiescere supremi cuiusdam Iudicis arbitrio, satius, et prudenter est, quam pro lubitu graffari.

### PHILOSOPHVS.

Potes existimare, mi Theologe! artes omnes, ac scientias auctoritati Ecclesiae substerni debere? in quibus tametsi excitandarum de immensis Dei perfectionibus notionum praesidium inueniatur, virtutis tamen modicum adeo est ad capessendam in coelis immortalitatem, vt ad eam consequendam harum adminiculo nenquam prorsus adsurge-re possis. Neque enim indigitatum vspiam a Deo fuit, quam nobis id genus scientiae pandant viam ad sedem beatarum mentium, secus certe tanta in iis excolendis varietas minime tolerari posset. Via enim salutis, quam Deus docuit, vel philosophico cogitandi modo, vna, certa, et constans sit, oportet. Profecto, quoties siue de incremento, siue de expolitione, siue de usu scientiarum agitandum consilium est, toties iure suae libertatis adeo agunt humanae mentes, vt et excogitare noua, et despiceret vetera, miscere, ac sus-  
deque

deque vertere pro arbitrio possint, immo ad Ecclesiae Patres nunquam redeundum illis sit, aut quemcunque forte nominent, eius sententiae nihil amplius roboris erit deferendum, ac quiscumque alius seu Newton, seu Galilaeus, seu Plato priuato valeat iudicio.

Quapropter non modo laude aliqua, et plausu non donandas censeo eius modi Philosophicas concertationes, in quibus D. Augustinus, Thomas, Bernardus, Bonaventura, et nescio, quae Sanctorum Patrum manus praeliatur; verum etiam cauendum magnopere iudico, ne in magnis his noninibus inconcussum aliquod argumentorum pondus constituatur; quos sane non alio fine in medium arenam saepe adduci puto, quam ut ipsa granditate nominum aut ad illam proruat Philosophus venerationem, cuius vi motus ab argumento suo iam discedat, seque in mancipium tantorum nominum abduci mitis, humiliisque patiatur, aut sacro quodam percitus horrore, momenta sua mediis in faucibus premere malit, quam veritatis causa vocem ultra proloqui audeat. Non adeo coecus est unquam Philosophus mi Theologe! ut veritates, et opiniones sub praesidium Ecclesiae, Sanctorum Patrum, aut quorumcunque, cetera eruditissimorum antistitum mittere cogatur, secus veritatem nullam consequuturus. In his enim quid-



quid potestatis, et praesidii est ad stabiliendam veritatem, vti esse omnino saepe maximam, non inficiar, non ob vitae sanctimoniam, aut Ecclesiasticos Honores obtinent, sed quia et eruditione, rationumque pondere valent, et iudicium ex arte recte Philosophandi ferunt, id quod Philosopho perinde, ac Theologo cuicunque vsu venire solet, neque enim diuitiarum amplitudo, varius vestimentorum ornatus, aut Honorum fastigium, sed rationum, atque momentorum vis, et acquitas de veritate cogitationum, atque iudiciorum decernunt.


Secus vnica siue dignitatis, siue antiquitatis auctoritate impulsi verum tueremur id, quod verum esse prudenter ignoraremus: veritatis enim in iudicio, quod non distinctis rationum notionibus, sed amplitudine dignitatis, vel antiquitate auctoritatis nititur, duo haec esse videntur fulcra: *Nemo potest, nemo audet contradicere.* Nemo audit, quia amplitudo Honoris, et Potestatis virgam ferream tenet, vitae, ac necis regulam; *Nemo potest,* quia ex omni antiquitate nemo superstet. Iam vero, quid ponderis repositum sit in antiquitate huius modi, edocuit nuper non nemo, qui dum quidquid pro Iubitu ingeniose fingere portuit, ad scribendum daret scriptori, inquietabat: *Scribe, posci centum annos omnia vera erunt,* et

*pro*

*pro iis, tamquam pro aris, et focus decertabitur.*  
 Proinde nullus plane dubito, quin et tibi satius esse videatur, pro vero id haberi, quod nunc prudenter expendenti e sufficientibus ad adsensum rationibus verum repraesentatur, quam aliena acie pensitare veritatem; in effingendis autem rationibus, et motiuis veri limitem aliquem velle statuere, vtique est, cautelam ponere, ne id, quod multis iam seculis pro vero habitum errore fuit, falsum nunc esse, detegatur, quod rursus tantumdem est, ac mala fide versari, hominibusque in studio veritatis egregie imponere.

### THEOLOGVS.

Nimius es, neque asperis adeo modis cogitata tua exprimere te oportuit. Sciendum erat, Ecclesiam, Concilia, Sanatos Patres, et huius generis praesidia eruditionis Christianae haud id cupere, vt singula iudicia tua eorum arbitrio subiectas, verum ne nimio tuimet amore, et in partibus mentis complacendi studio vietus tale quidpiam concludas, quod Religionem, moresque labefactare facile possit. Vbi quoniam vel inuitus aberrat saepe homo, qui ratiociniis suis incautus, nimiumque fidens indulget, ideo recurrendum sane ad eorum Auctoritatem esse, probe intellexeris, quos aetate, longa rerum experientia, publica fide, ac praesertim di-



uinarum Institutionum cura conspicuas communis securitas decernendi potestate donauit.


Crede mihi, nihil vñquam est, seu ad Rerumpublicarum felicitatem, seu ad verae beatitis, si tamen huius memoriam reducere me tibi patet, consequuntionem, seu ad communem omnium populorum salutem magis admodum, quam gentes omnes eadem religione niti, si possibile illud sit, eiusque disciplina eadem regi, sicut nec ad tranquillitatem animorum, vñionem voluntatum, amorem mutuum, studium commune, et felicem populorum concordiam inuehendam admodatius videtur aliquid summis Principum Ministris, atque ad vnam ideam, normamque exigere Imperium. Quodsi salutaria haec sunt, et ad bonum commune pertinent, quid est? cur solutam adeo libertatem, quae in varia consilia sectat gentes, populosque singulos, adstrui oporteat; aut si Ecclesia, Concilia, Pontifices, Sancti Patres, suspecti, et infideles sunt diuinæ doctrinæ testes, aut interpretes, quis erit, obsecro, qui fidum se, atque ab omni errore immunem illius arbitrum praedicet? erit ex aduerso liberum omnibus, id vnicum Euangeliu Christi consentaneum reputare, quod ipse repererit, aut voluerit, præsertim si fortasse auctoritate valeat. Hæresiarchæ profecto, quicunque vñquam fuerunt,

Litterasque diuinias non penitus reiecerunt, prudenterissime cauti, tantum in eas potestatis sibi haud vendicarunt, ut summam, et indubitatam earumdem explicandarum potestatem suae solum Sectae tribui cuperent, qua contentione si quem fortasse alicubi inueniri scirem, temere audaculum iudicarem: quoniam haud deposita exuuiarum instar humanitate, iisdem ipse humanae imbecillitatis naevis obnoxius est, quibus siue Ecclesiam, siue summos Antistites laborare, forte cauillatur; quiuius modi cauillationum indignitatem demonstrare, nec argumentum, nec tempus patitur, nec tui causa, amantissime Philosopho! fieri istud debere, puto, quem nempe et methodice philosophari velle video, et e gremio Ecclesiae in imaginaria quaedam interualla nondum euolauisse intelligo; ad scopum itaque, cuius causa loquutus sum, venio; Iuculenterque constare mihi, aio: neque libertatis villam esse necessitatem, si fiorere pacem, et tranquillitatem velimus, neque sapientius institui quidpiam posse, quam omnes intellectus humani vires supremo illius iudicio tradi, quem Christus ea ornauit potestate, ut praefit gregi, videatque, ne venenata carpat pascua, et ad interitum citatis passibus contendat.

### PHILOSOPHVS.

Adferre mihi diuina oracula, noli, nam Philosophus verbum summi Numinis absque tortuosis inter-

pre-



pretationibus accipere, et venerari consuevit, cauetque diligentissime, ne in item, ac opinionis praesidium quoddam depositatur. Praeterea compertum habet, eum, qui methodo sana, et cultis hodie Philosophis propria philosophatur, non posse veritati reuelatae oppositum quidpiam tueri propterea, quod Philosophus nil, nisi certis nixum principiis, demonstratumque luculenter admittat; nouit subinde egregie, perfectiones primi Entis, et Motoris omne erroris periculum excludere. Censendum igitur merito est, si fortasse contradictione quaedam etiam in nonnullis Scripturae locis, et Philosophorum opinionibus occurrat, eam diuerafa interpretationum Scripturae, ac Philosophicarum demonstrationum ratione partam fuisse: id quod exploratum prorsus erat in figura telluris, quam nuper in Theoria Astrorum egregie versatus Philosophus rotundam esse demonstrauit, Sancti Patres ex aduerso arbitraria usi interpretatione rotunditatem hanc cum diuino codice pugnare decreuerunt. Exploratum idem est in Leibniczio, cuius *Theodicea* mundum in genere sumit pro uniuersa rerum existentium, et sibi mutuo succendentium serie, atque ita, omnium possibilium optimum dicit; in diuinis autem Litteris eundum hunc mundum pro uniuerso genere humano usurpari deprehendimus, atque ideo totum mundum in maligno ponit. Quod ad unius, qui gregi prae-

est

est, auctoritatem adtinet, oro Te, cur non in alio  
quocunque eruditorum hominum iudicio Lydium  
illum humanorum cogitatorum lapidem quaeren-  
dum esse, autumas, praeter Ecclesiae, et San-  
ctorum Patrum auctoritatem? an soli hi absoluti  
iam sunt a communi hominum indole, et errandi  
facilitate?


### THEOLOGVS.

Argumenta scientiarum profanarum arbitrio  
Ecclesiae non substerni, virosque, quos omni vitae  
Sanctimonia, et Sacrarum Litterarum cognitione  
conspicuos colit, ac veneratur fidelium multitu-  
do, non plus obtiner: auctoritatis in decernen-  
do circa res naturales, atque eorum valuerint ra-  
tiones, non dissentio Philosophie! patet ingenii  
vestris libertas in opinando, concertando, deliti-  
gando, et dum vultis, delirando etiam, verum est;  
at audacem nimis esse temerariamque libertatis de-  
fensionem, fateri debeo; vt pote quae humanae  
prudentiae normam penitus excedit. Numquid  
ambitiosis loquendi modis, incanta ingenii acie,  
potenti cogitationum effusione satis superque de-  
rogasti iam Ecclesiae, Sanctis Patribus, et toti  
Reipublicae Sacrae? id quod inconstanter philoso-  
phari te ostendit, cuius munus fuisset, ratioci-  
nium intra limites Philosophiae continere. Quid  
tibi negotii est cum Sanctis Patribus, aut Eccle-  
sia,




sia, si libertatem philosophandi ea causa tueris, ut artibus, et scientiis prouehendis consulas, bonumque commune, et felicitatem publicam egregie stabilias? non intelligis contemtum, quem pars Ecclesiae, ac Sanctis Patribus ratiocinio tuo? Iam vero non modo societatis vnius, aut Reipublicae, qualem fidelium collectio constituit; sed vel vnius etiam hominis contemptus magno dari debet vitio aduersus humanae prudentiae leges, quae nimirum singulos homines, tamquam Republicae membra e merito aestimari, ac pace frui volunt.

Cui magna est potestas in uno, plerumque in alio etiam genere magnam eidem deferimus auctoritatem. Profecto Princeps quoniam summo status politici, rerumque profanarum iure valeat, etiam in rebus sacris magnam arbitrio Illius largimur auctoritatem; e conuerso igitur quoniam Ecclesiam in argumentis Theologicis, et ad Religionem pertinentibus supremam arbitrandi potestatem obtinere, nouisti, influat illa in profanas etiam scientias, necesse est. Nempe quia sic prudens rerum gerendarum ratio postulat, sic vinculum scientiarum iubet, sic humanitatis contemplatio docet, sic vices ferunt humanae sapientiae. Si ergo hic est humanae prudentiae mos, haec mutuae hominum vitae ratio, cur sapere te posse aut




aut ipse arbitraris? aut ego senserim? quum non modo ambitiose, verum etiam nefario ausu tueris, plantasque libertatem in philosophando, quin ullum cogitandi obiectum, ratiocinii limites, ac dicendarum rerum argumentum definias; immo non sine grauissimo despectu, id quod nulla prorsus Philosophia patitur, exulem facis Ecclesiam, Patresque ex omni Philosophiae prouincia, ac humanarum scientiarum amplitudine, plaudis insuper, ac nescio, quo extolleris gloriae impetu, quod tantum sapere, ac prouehi audacia possis. Cauē, obsecro, ne iudicandi mihi occasionem facias, esse in te quidpiam ab homine alienum, ita hominem e nutu solum censes: hunc, quia stipulatis tecum manibus in tuam abit sententiam, eruditioне, sana Philosophia, consilio, et omni integritate extollis, illum, quia rationibus suis tuam petit opinionem, ad pedantismum, et ignorantiam, inexcultamque animi indolem condemnas, hunc laude, illum vituperio, hunc praemiis, illum conuitiis oneras, quia libertas in Philosphando stare, ac stabiliri debet.

Ecclesia, Concilia, totaque Sanctorum Patrum collectio tametsi nullam fortasse ferre possint, ac debeant, vt e genio vestro loquar, fidem, ac venerationem, propterea, quod peculiari quadam ratione gerendis rebus Sacris fungantur;




tur; nihilominus cum hominem non exherint, cum  
humanitate scribendum, agendumque de iis esse,  
fana humanae conditionis regula monet: an vero  
humanum agendi cum homine modum censes, eo-  
rumdem nomina, merita, honores, ac dignita-  
tem verbis iuxta et scriptis lacerare, orbique v-  
niuerso, tamquam *impostores*, eos proponere, vt  
exemplum tuae in philosophando libertatis in o-  
mnium oculis statuant? vide Amice! vt ultra li-  
mites humanitatis, et Philosophiae rapiat te, col-  
legasque tuos libertas in philosophando; nil am-  
bis, nil contendis tanta sagacitate, quantam in  
labefactanda Theologiae, Sacrarumque scientia-  
rum excellentia collocas; Lydium lapidem, si  
quispiam constitui debet, in quocunque alio ho-  
minum genere potius, quam in iis ponendum ad-  
seueras, qui gerendae Religioni vacant, me her-  
cule nunquam potui existimare, tantopere pugna-  
re cum veritate Religionem! Sane pusillus es Phi-  
losophus; quisquis ita sapis, pusillam enim figis  
in eo adtentionem, quod recta ratio, et luminis  
naturalis vis iubet, quae nempe tota in eo est,  
vt in iudiciis, ratiociniis, ac cogitationibus no-  
stris, veritatem iis praesidiis quaeramus, quae  
eam securam nobis reddere valeant. Iam vero  
ne te quidem inficias iturum existimo, plus se-  
curitatis reperiri in iudicio Ecclesiae, quam in in-  
geniis nostris.



Philosophus, donec excellens, hoc nōmen gerit, operam suam coniungere debet cum fine supremo, seu cum vera, et vnicā felicitate sua, si cuius tamen cura tangitur, quomodo enim thesaurus sapientiae requiras in eo, qui principium sapientiae, siue Auctorem naturae pro scopo sapientiae non praefixit? quomodo sapientem censueris illum, qui sapere cum fine negligat? si ergo Philosophum, posito scientiarum fastu, ctiam ad finem supremum decet contendere, arbitrum sapientiae suae eum quaerat oportet, qui non solum e principiis naturalibus, quia homo est multa rerum cognitione, vsu, et experientia conspicuus, sed etiam e Reuelatis, quia vices Christi creditas sibi habet, iudicare, decernere, et securitatem adsentiendi praestare possit; id quod penes Ecclesiam, caputque eius a Christo esse relictum, fortasse dubium tibi non est, si nosti illud: *E tu ali quando conuersus confirma fratres tuos.*

Circumfer oculos, Dilecte Philosophe! per disciplinam, mores, consuetudines, omnemque politicam sectarum, et religionum; comperies profecto in singulis, ac in iis praesertim, quae cultiores, magisque exopolitae sunt, singularem quamdam attentionem in suos Pastores, ita, ut horum consilia, hortatus, doctrinam, et definitiones non solum in rebus, quae ad disciplinam Religionis




pertinent, verum etiam in quoconque politico, critico, et philosophico argumento magnae esse auctoritatis, nec facile reici, fugillationibus autem, reprehensionibus publicis, aut aliquo nocendi studio nunquam excipi, constet; cur igitur rapiat nos libertas cogitandi in eam temeritatem, atque impudentiam, ut propriis telis, propriis uectus conuictiis maculemus, ac prope confodiamus caput nostrum, Magistros, Patresque conscriptos? profecto sicut alieno cuicunque a Sacris nostris summae laudi dare debeo illam in ministros suos humanitatem, prudentiam, et venerationem, ita in vobis, e gremio nostro, summum vitium, sumnumque politae cuiuspiam prudentiae defectum, ne dicam impietatem sapit ea libertatis adfectatae usurpatio, et insolentia, qua in Auctoritatem Ecclesiae, et summorum Sacerdotum exardescitis.

Deinde, quid vetat, quominus aut Sancti Patres, aut summi Antistites non modo disciplinis ecclesiasticis ornatissimi, sed etiam Philosophi maximi sint? Existimo, Philosophiam haud adsutam esse vestium generi, aut vitae, officiorumque rationi, ut alii, quia certum deferunt vestimenti genus, aut hoc, illoue funguntur munere, continuo egregie philosophentur; alii rursum, quia fortunarum, officiorum, ac ornatus externi ratione disformi sunt, in crassa quadam ignorantia, et

ruditate squallere debeant. Cur, si Monachus, si Sacerdos, si tonsis capillis sum, nihil praeclarum legisse, nihil intelligere, nihil expertum fuisse oportet? ex aduerso, cur, si miles, si Politicus, si Philosophus, si Artifex sum, Voltairum, Rousseauinem, Marquis d'Argens, Heluetium, Horum, vel aliquem eorum, qui hodie eruditionem suam, conuitiorum plenis foliolis creditam, vili pretio vendunt, sapere debet mens mea? cur, si in Claustrum recessi, rudem, impolitum, fanaticum, et pedanticum esse me, necesse est? aut cur, si in mediis mundi voluptatibus suauiter laetor, summum Philosophum, Mathematicum, Historicum, Criticum, et Politicum esse, certum est?


Mihi non videtur ita immitis fuisse siue Author naturae, siue ipsa natura in mentes nostras, ut omnem earum vim, et in sentiendo, iudicando, atque agendo potestatem calamistris, et externo cultui consecrauerit, ac quoniam libere cogitat quispiam, continuo Cicerones, Tacitos, Verulamios, Galilaeos, Newtonos, Leibnizios, Grotiosue in digitis habeat. Sicut ergo praeiudicium istud maximum esse debet in libero Philosophiae regno, ita paradoxum omnino est, stimulis libertatis eo deuenire, ut in iis solum bonam mentem, amplam scientiam, cor honestum, et rectum Litterarum sensum inueniri posse contendatis, qui




vestrum vitae genus, vestramque iniuerunt in philosophando libertatem. Patere iam amice! vt dicam: si libertas in philosophando in manifesta haec paradoxa te coniicit, cur, quo voles, periculose euagari mauis, quam certo, et seculo duce progredi? cur vela turgido potius vento credere vis, quam in trauillo portu conquiescere? intuere, quot, et quam arduas vexerit procellas commotus hic Aquilo, cui pectus, calido perfusum sudore, apertum exporrigis, vt te recreet, ac reficiat; cur, obsecro, quae te iam adfixit, eamdem morbi vim rursum suspiras? cur ensem illum acuere satagis, qui grauissimis saepe, ac iterum te adfecit vulneribus? cur maleficia iactas in eos ingratus, quibus conseruatas tristissimis illis Arابum, et Sarracenorum Seculis debemus litteras? improbi hominis est, proscindere, atque vlcisci eum, cui res suas secundas in acceptis refert, non aliter, atque blasphemi, et poena digni est, maledictis insurgere in eum, cuius infinita vi nihil superauit; cur in perniciem Reipublicae paras ciues, qui omnem industriam, omnemque doctrinæ, et educationis rationem ad commune bonum, et fidelia Regis, ac Patriae seruitia dirigere debes?

#### PHILOSOPHVS.

Erat tempus, mi Theologe! quando me quoque ea occupauit opinio, vt Philosophum in liberta-



bertatem cogitandi, atque loquendi effusum non aliter contemplatus fuerim, ac hominem sceleratissimum, et ciuem Patriae perniciosissimum; at vidi paulo serius, quanta insit in libertate ingeniorum dignitas, quantum adferat humanae societati emolumen-  
tum; reuersus ideo sum ad meliorem cogitationem, proque illa sto nunc fortissime, ea praesertim motus charitate, vt vos, qui tristi adhuc, et prisco praeiudiciorum iugo estis obstricti, in libertatem adducam. Deinde ita ego Philosophum contem-  
plor, vt vel suspicionem froeni cuiuspiam in suis meditationibus grauissimo illi impedimento futu-  
ram putem; quippe sollicitudo illa, quam forte constanter gesserit animo, ne froenos sibi positos egrediatur, pulcherrimos etiam extinguit mentis impetus, cogitationes, quae ad publicam salutem vel stabiendiandam, vel locupletandi saepe perti-  
nent, in ipsis suffocat rudimentis, in ipso enecat semine. Me hercule! qui veritatis causa philoso-  
phatur, exutis cum esse oportet passionibus, praesiudiciis, et adfectibus; qui enim his agitur, ea duntaxat probat, decernit, probarique cupit, quae sua sunt, reiicit vero, quidquid etiam sapientissi-  
me iudicauerint alii; qui veritatis causa scribit, ratiocinatur, loquiturue, ne curam quidem eam inire debet, an hoc, aut illud vitio illi haec aut illa hominum collectio dare possit. Enim vero, continuo huic potius, quam illi fauendi studio oc-



cupari sentiet animum, id quod veritatem plerumque vapulare, vel saltem grauiter periclitari iubebit.

### THEOLOGVS.


Non sit sollicitus, meditetur, scribat, loquatur, ratiocinetur, cudit, recudatue liber, non veto, illud duntaxat dico, ut posteaquam meditatus, ratiocinatusque est, meditationum, dictorum, scriptorumque suorum testes adpellet illos, quibus et Religio, et scientiae, et boni mores, et patria, et salus publica curae sunt, siquidem Philosophum et bonum ciuem, et virum sapientem esse decet, intentum proinde magnopere, ne quid uspiam detrimenti pariat. Quis autem est, qui proprio quidem stet iudicio, nulli tamen errori obnoxius sit? desipit vnum omnium maxime, qui vnum ex omnibus sapere sibi videtur. Quemadmodum ingens Rerumpublicarum neruus, ac felicitatis publicae ratio singularis in collatis mutuo Ministrorum summorum, ac Principis consiliis ponitur, ita scientiarum, quae non parum curae facessere debent Regibus, omnium incrementum, ac dignitas in eo potissimum consistit, ut communi, rectoque probentur iudicio Litteratorum conamina. Profecto si rectum omne id fuerit, quod singularis placuerit, nunquam futurum puto, ut scientiae in commune bonum succrescant: nam sicut

b' Re-

*Regnum in se diuisum* desolari, sic societates *finc* concordia animorum, consiliorumque dissolui oportet.

### PHILOSOPHVS.

Tametsi aliquos humanorum conaminum arbitros esse debere, largiar tibi, suauissime Theologe! Tribunal tamen istud non in gremio vestro erigi, non Theologos, non Ecclesiam, non Sanctos Patres, diuinis Rebus, ac negotiis Religionis occupatos, statui debere contendere; quippe humana mens cui scientiae longo vsu asueta iam est, in eadem firmissimam figere consueuit atfentionem, iudicat vero eo solidius, et rectius, quo acrius se defixerit. Philosophus ergo, vtpote rerum naturalium scrutator quocunque Theologo amplius, et acutius perfpiciet rerum naturalium studio comprehensa scientiarum capita. Insuper Theologorum, pace tua loquar, ingenia in iis quoque propositionibus, et articulis, quae nulla prorsus ratione adtingunt fidem, aut morum disciplinam, virtutisque scholam, naeuos quaeritant, omnia minutim resecant, ac vbi recta ratio vix periculum suspicatur, illi artificio sibi ipsis cognito malum ingens, ac morum interitum machinantur. Praeterea, patere me, quod sentio, eloqui, si iudice opus est ad conatus, et cogitata Philosophorum, orbis eruditus sit iudex; satius enim est, cogitata sua totius




orbis iudicio censenda substernere, quam vnius, aut paucorum oculis proponere. Plures oculi, plura vident; hac causa fuisse inuentas, et perfectas Typographias, luculentum est. Quid est, obscuro, quod vetet, omnium potius iudicium experi-ri inuentiones, et conatus Philosophorum, qui ab uno aliquo, aut paucorum hominum collectione cen-soriam virgam ferre debeant?

### THEOLOGVS.

Acutissime figi super rebus naturalibus illius mentem, qui scrutandis illis asueuit, probo, at non istud vnicē requirendum in arbitro: verum, vt nec boni priuati spe capiatur, nec concilian-dae sibi maximaē auctoritatis amore illestit id quoque, quod aequissimum quidem, opinioni tam suae haud conforme est, reiiciat, denique requirendum, vt ab omni partium studio liber sit, videatque, ne quid detrimenti capiat Respublica, siue ob corruptos mores, siue ob solutam Religio-nis disciplinam, siue ob fraudulentam artium, et scientiarum progressionem; id quod facile nullam ei fecerit curam ob fauorem scientiae, de cuius placitis fuerit id, quod in iudicium adducitur. De-lectant, certum est, plerumque nos ea, quibus operam damus, et studii nostri curriculum iam consecrauimus: sic Philosopho Philosophica, Ma-thematico Mathematica, Historico Historica ma-

gis probantur, quam conuersis studiis Mathematico Historica, Theologo Mathematica; fauor itaque, quo singuli in suas feruntur scientias facilissimam praebet errandi, ac auersandi viam, ut re ipsa, quotusquisque inter vos est, cui Theologicae veritates probentur omnes? subinde candidus veritatis amor, bene moratae disciplinae conseruatio, super adfectibus imperium rationis omne hoc fauendi studium coercere debet,

Deinde perspicue dispicienda est Iudici doctrina priusquam orbi eruditio proponatur, ne omnium, aut plerorumque animus vitium capiat, Editus in lucem liber non iam id vnum, ut de co iudicetur, obtinet, verum etiam ut doctrina quoque usum habeat, sero sane futurum est, vetando mederi, posteaquam vulnus illatum fuit, praeauendum potius sapienter, ne idem inferatur, sero consolationes adhibentur, sero melle illinuntur, ne crucient, iniecta vincula, sero cauetur, ne sentiat, cui vis infesta infertur. Denique existimare debes, vnumquemque Theologum Philosophicis etiam scientiis operam dedisse, longe aliter, atque Philosophum experiaris, qui plerumque nec oblectatur Theologicis motiuis, nec opus habet, ut solide philosophetur, principiis, quae sua ei Philosophia non suppeditat,




## PHILOSOPHVS.

Aequum est iudicium tuum, ast et illud magnopere cauendum puto, ne sapiens illa, quam adfers, cautio in immoderatam eorum agendi rationem demigret, qui disciplinas profanas, ac cumprimis Philosophiam tamquam Religionis pestem, morum corruptelam, ac diuinarum Litterarum hostem damnant, proscindunt, et cruento pene odio configunt. In oculis horum nihil noui Physica, nihil Astronomia, Medica, Matthesis, aut scientia aliqua produxerit, quod non metuant, abominentur, ac veluti spinas, et tribulos, qui vulnus vbiique relinquunt, perhorrescant. Non dubito, quin homines istius modi et tu grandi esse detimento scientiis, fatearis. Enim vero nullum non mouent lapidem, vt Auctores profanarum scientiarum suspectos de corruptela iuuentutis, morum, ac Religionis reddant; si forte quidpiam praeter receptum morem audeant, Theologus eos horrendis criminacionibus praemissis coptae haereseos insimulat, iustum in eos poenam dici postulat, opera configi petit, lectores ipsos grauissimi crimini reos agit, vt ita conatus seu Physicorum, seu Mathematicorum conuellat, et, si fortasse solitis, diligenterque exhibitis huius generis praesidiis nil obtineat, praeclarissimaque ingeniorum monumenta in miserrimum interitum non deducat, Principum postetatem, Academiarum auctoritatem, et Reli-

gio-

gionis Maiestatem, importunissimis vrget petitio-  
nibus, vt pulcherrima scientiarum incrementa craf-  
sis multentur tenebris, non aliter, atque si ve-  
nica eiusmodi propositio regna, Religionem, ac  
veritatem omnem iret euersum. Iam inconsulto  
hoc conatu quid aliud obtinetis, Theologi! quam,  
quod aut eos etiam, quos praecclara iam conami-  
na celebres reddiderunt, ab optimis, et praecla-  
rissimis moliminibus deterreatis, aut iusta com-  
motos indignatione eo praecipitetis, vt apertos,  
infensissimosque Religionis hostes factis, scriptis-  
que se se porro declaront, excussa omni auctoriti-  
tatis veneratione? quorum vtrumque ingens est  
Religionis ruina, et in Republica Litteraria per-  
nicies maxima. Quare solutas ingeniorum habae-  
nas idem illud meliorum hominum desiderium,  
votumque requirit, quo incrementum scientiarum,  
salutis publicae securitatem, ac Religionis inte-  
gritatem optamus singuli. Cui ingeniorum liber-  
tati quandoquidem plurimum obesse videtur seue-  
ra censorum vestrorum auctoritas, satius vtique  
erit, vniuersalem sequi iudicem, qui opportune fu-  
turus est orbis eruditus, quam priuatum aliquem,  
aut e definita quapiam hominum societate.

Certe, si quis scientiarum, et cogitationum  
philosophicarum iudex statui deberet, oporteret  
vtique ita eum comparatum esse, vt nullum homi-




num genus singulari quodam fauore comple&tatur, quod cum ab homine impetrari fere non possit, singuli enim humanae imbecillitatis naeuos gerimus, vulgetur opus, necesse est, iudicet orbis, ne vel in arbitris constituendis fauor quidam peculiari, et partium studium elucescat. Quis est, qui hominem exuat? quis est, qui huic atque illi magis addictus non sit? quis est, qui genus, sanguinem, Patriam, Amicitiam inter fauoris media, dum licet, non numeret? hoc me affectu agitari palam edico, quid enim alienum a me putem id, quod humanae naturae opus est? quem quidem animi affectum moderari possumus omnes, extinguere neutquam.

#### THEOLOGVS.

Vt securitas omnis tuto semper loco subsistat, mi Philosophe! satius est, acerrimis oculis, animoque feruente circumlustrare, ne quid mali pariant ingenia, quam solutis eadem raptari habae-  
nis, velaque turgida credere flu&tilibus. Blandi-  
mini vobis de insigni quadam vi, et aequitate iu-  
diorum vestrorum, qui tamen de summa co-  
rumdem inconstantia estis accusandi. Nonne dum  
in Psychologia, nobilissima Metaphysicae parte,  
fortissimis rationibus tuemur libertatem animae hu-  
manae, vos nihil a vobis libere, omnia necessa-  
rio fieri validissimis vocibus contenditis, ea solum

industria, vt adfectuum impetum, ac incen-  
fos machinae motus sequuti, et audacius in ma-  
lum quodlibet proruatis, et pessimam agendi  
rationem, crimenue excusetis: nunc rursus con-  
uersis vicibus, pro libertate, tamquam pro aris,  
et focis pugnatis, vt humanorum iudiciorum ve-  
ritatem susdeque populemini eo duntaxat molimi-  
ne, vt praesidium illud aequitatis subruatis, quo  
malesana doctrinæ vestrae capita confossa, cuersa-  
que saepe vidistis.

Nempe est in more vobis, versare libertatem  
pro Iubitu, semper tamen ad contegenda scelera;  
hic, vt cogitare, loqui, sentire, et acquum omne  
tollere, ibi, vt sine ullo froeno agere, recti ne-  
scios animi, ac desideriorum impetus explere pos-  
sit. Tanti vobis est pretiosus hic animae huma-  
nae thesaurus, quanti futori corium, puero pila.  
Nullum vultis scribendi obiectum vobis vetari,  
ideo teruntur quotidianis manibus libri vestri,  
quorum alii morum disciplinam nefaria labefactant  
audacia, alii aduersus Patriae consuetudines, mo-  
resque, et genium populi castra mouent, alii le-  
ges, iuraque humana, etiam sapientissimis, et ae-  
quisissimis Principum Auspiciis fulta conuellere fa-  
tagunt, alii bonas artes e medio tollunt, vt omnem  
hominem, qui vestris non subserbit institutis,  
rudem, incultum, atque barbarum reddatis; ex-  
tant,



tant, et palam leguntur libri vestri, quorum alii communem societatum pacem subuertuant, alii desperare iubent, alii noua spe iterum erigunt animos, alii beatos, officiis plenos, Religioni, Prinpique suo forti pectore sacratos ciues dissociare tacitis artibus volunt, alii Divos, alii Deum ipsum de altissimis coeli sedibus deiicere parant cruenta quidlibet audendi potestate, ignari, quos Auctor naturae posuerit limites mentibus humanis, ignari, quibus Membris componi oporteat felicem Rempublicam.


Atque temeritas haec eo delapsa iam est, vt non morum duntaxat, sed Religionis etiam dogma reiiciatis, nisi claris illud, distinctisque notionibus comprehendere possitis; immo acumen ingenii tantopere torquetis, vt Legibus integritatem, Religioni Sanctitatem, Christo diuinitatem auferatis; ipsa diuinæ reuelationis verba miris, ac prope sanguinolentis interpretationibus truncatis, abnegatis, aut si fortasse figmentis ingeniorum vestrorum minus respondent, in sensum arbitrium violente torquetis; quam audendi libertatem, quis non videt, grandi esse detrimento Religioni, ac Rebuspublicis? profecto non fert sana mens, penes quemlibet hominem esse, Doctrinam Christi, et institutam ab ipso Religionem pro beneplacito fingere, quod tamen singuli certatim age-

re

re consueuistis. Quot sunt iam libri, quos in ornatissimas, et le<sup>t</sup>tissimas Bibliothecas intulisti, tametsi partim scientias omnes perniciem Reipublicae adpellent, partim nulla hominem Religione teneri clamitent, partim fato omnia regi, proinde Prouidentiam nullam, Deumue existere vociferentur? an non tristissimi, aeternisque Iachrymis deplorandi sunt hi libertatis vestrac<sup>e</sup> effectus?

### PHILOSOPHVS.

Heu me! deploranda est sors tua, mi Theologe! siquidem errores ibi somniare, vbi nulli sunt, pericula ibi plurima, et maxima fingere, vbi securitas plena est, in media denique luce tenebras imaginari affoles. Philosophi nos aut excusare nouimus errorem prudenter, aut hallucinantium rationum impedimentis sublatis robur inducere veritati, aut reiectis verborum pigmentis adsensum impetrare tandem, vt ita docere intellegatum, ac in aquirenda cognitione adiuuare potius iudicemur, quam positis froenis, vinetaque cogitandi, et audendi libertate a praeclarissimis conatibus abstrahamus. Quid opus est, calumniarum instar libros nostros in medium adducere? de quibus illi quoque, qui peruersum aliquid continere videntur, theologicis plerumque iudiciis, et notissimo apud vulgus imponendi modo insignem hunc obti-




nuerant honorem, quibus tamen ne tu quidem potes meritum illud negare, quod edocuerint vos, ac orbem superstitionis, oculos tandem aperire, veterem coecitatem deponere, siue mores, siue Religionem, siue disciplinas fere omnes a mendis plurimis repurgare.

Insuper ne vos quidem videmini firmum, et constantem semper ratiociniorum nexum tenere: nam, an ad saliuam tibi loquar, nescio, tum etiam, quum amoenissimos Philosophorum conatus ridetis, et damnatis, Lydium lapidem aut in Aristotele, Scotoque, aut in Dino Thoma, et Augustino collocatis; nempe quidquid horum principiis repugnare intelligitis, omne id tamquam ad conuellendam Religionem natum condemnatis, quod cum grauissimum sapiat praeiudiciorum malum, quo tu nos, eodem ego vos crimine condemnno, et minas, conatusque vestros nostri causa suscep-  
tos inter impedimenta scientiarum constituo.


### THEOLOGVS.

Feceris, vt Iubitum tibi est, amice! deque conatibus nostris pronunciaueris, vt voles, honorificentissime, aut malevolentissime, nil moror; id scito, luce meridiana clarius patere mala libertatis vestrae, ad quae sopienda conspirarunt Maiorum quoque nostrorum conatus, dum singula-

ri ingeniorum contentione adnisi sunt, ne vñquam  
animos hominum capiat libertas cogitandi, ac  
philosophandi; huc conspirant hodie quoque sum-  
morum in Republica virorum consilia, qui omnem,  
qua in progressu bonarum artium conspicui sunt,  
potestatem eo conferunt, vt videant, ne quid ma-  
la mole congestum, ac moribus, publicaeque sa-  
luti perniciosum in lucem vspiam prodeat; hic  
collocauit nuper sapientissimam operam Augustus  
Princeps constituto studiorum Tribunali, atque li-  
brorum censoribus. Hos procul dubio, et qui-  
cunque attentis in libertatem cogitandi sunt ani-  
mis, viros, alioquin et Religione plenos, et pu-  
blica probitatis opinione conspicuos, et eruditio-  
nis gloria probe ornatos non possumus prudenti  
consilio superstitionum, praeiudiciorum, demen-  
tiae, vel temeritatis accusare mi Philosophe! quan-  
tumcumque blandiri nobis velimus. Quia mente  
fuerimus autem de veneranda prisorum Ecclesiae  
Patrum contentionē? atque in moderandis inge-  
niis magnanimitate? Certe si tantilla mentis acie  
redeamus ad prima secula, intelligemus, ea et  
Sanctitate Antistitum, Principum, virorumque  
in variis vitae generibus, ac honorum subselliis  
positorum, et insignibus aduersus Philosophos, qui  
audendi libertate omne ius, et aequum miscue-  
runt, conatibus floruisse.



Quem possunt latere Apollonii miracula? ab omni gentilium Philosophorum cohorte eo fine efficta, ut res Christi, diuina procul dubio virtute gestas, obscurent, ac prope conseptent? cui non redeant in memoriam ingentia illa incommoda, ac morum, et a Christo acceptae doctrinae damna, quae confictis Ammonii placitis parta, saepe ac iterum deplorarunt Pontifices, virique optimi? quis nesciat funesta Tertulliani, atque Origenis facta, quae ob solam ingenii, doctrina Gentilium Philosophorum iam depravati libertatem tulerunt? quem fugerit commotorum vndeque Sanctorum Patrum industria, malo maximo medelam adferre volentium? quem vnam praeterire poterant habitae inter Augustinum, adhuc omnia libero ingenio periclitantem, et Diuum Ambrosium disceptationes? quis ignoret, siue Almarici in Theologia iuxta, et Philosophia grauissimos errores? siue Synodi Parisinae in emendandis illis consilia? quis denique peregrinus adeo in orbe litterato fuerit, vt impiam Lucilii, et Machianelli audaciam, funestumque exitum iudicio, aequitate, et pro conservanda morum integritate, compescendisque ingenii vigilancia decretum unus omnium nesciat? neque est, cur Sacrosanctum non habeamus id, quod Sanctissimi Religionis statores, ac defensores sapienter decreuerunt, illud autem, in quod seuerius animaduertendum iudicauerunt, et ipsi non detestemur.




## PHILOSOPHVS.

Non oportuit te in Sanctimonia eorum quaerere praesidium, quos in seriem Sanctorum vos ipsi reposuistis, et quorum iudicium non a vitae Sanctimonia, sed a vi rationum naturalium, quibus utuntur, peti debere, dictum iam a nobis est.

## THEOLOGVS.

Parce mihi clarissime Philosopho! Iapsum te sursum, et nexus iudiciorum destitutum video: numquid Sanctitas illa communi Ecclesiae, siue, ut dici mauis, quos rerum tam philosophicarum, quam medicarum eruditio commendat, virorum auctoritate post exactum gestorum, totiusque vitae examen fuit decreta? an vero nihil ponderis putas inesse debere publicis id genus iudiciis? quid? obsecro, causae fuerit, cur fidem omnem perdiderint grauissimi Patres ad decernendam, et in tota fidelium collectione proponendam alicuius Sanctitatem confidentes? me hercule! in grauissimo illo confessu frustra quaequiero tantae iacturae causam, ne omnium, quaecunque vbiunque fuerint lata, iudiciorum integritatem in discrimen temere vocari oporteat: cur enim censem, hic collectam hominum fide alioquin, consilioque florentissimorum frequentiam errori obnoxium iudicium debere pronunciare, ubiuis alibi super quibuscumque argumentis, et de quoconque vitae genere




collectam hominum multitudinem ab omni defectu alienum promere iudicium? Itaque longe opportunius contulero me ad praedominantes animi tui passiones, quarum imperium adeo exitiale semper esse, comperi, homini, ut illis correptum arbitrum nil vñquam probe iudicare posse, sciam.

Porro decretis sanctitatis honoribus gentes integræ, Reges, et Principes haud raro subscripferunt, id quod alioquin vehementer adcommodatum est ad id, ut quicunque seu positae per Christum Ecclesiae caput inclinare, e munere ducebimus, siue in orbe politico cultioribus vitae principiis conspicui comparere volumus, latis id genus iudiciis plene aquiescamus. Quodsi vero honores eiusmodi, cultus publicus, ac solemnes venerationis tituli nil conferunt ad conciliandam auctoritatem, quid causæ est, amice! quod et ii, qui siue Religione, siue quacunque cogitandi libertate differunt, statores suos solemn quodam adaptatu nunc Diuos, nunc Beatos, vocent? Noui animos vestros, quicunque hanc libertatis laruum humanis mentibus obtenditis; scio quanto studio curetis, ut receptis apud nos publicae venerationis titulis insigniantur Duces societatis vestræ, scio, quas effinxeritis iam hac causa fabulas; Philosophos ne? aut solidioris eruditioris sectatores?

vel

vel fortasse ab omni auctoritatis praeiudicio alienos vos esse, declaratis huius modi conatibus?

Sanctis in Ecclesia viris aut penitus aufertis, aut vehementer deminuitis auctoritatem, vt arma, et praesidium nullum in iis collocare possimus, subinde celebriores e gremio vestro homines eadem exornatis, procul dubio, vt sub larua eius modi amplius cerebrum latere, inficetae plebi persuadeatis; quid opus est, umbram captare, si decreta Sanctis Patribus nostris, et Ecclesiae Doctoribus veneratio illa nil roboris, ac dignitatis largitur? quid opus est larua, si cerebrum deest? si vero est aliquid meriti ad fidem faciendam, iudiciumue stabiendum in honoribus illis, quid opus est, conutio similes cumulare modos labefactandi auctoritatem Diuorum? si vobis Augustini, Thomae, Bernardi, Chrysostomi r. nullam faciunt fidem, qua fronte vultis, vt nobis Melanthon, Voltaire, Marquis d'Argens, aut quicunque liberoris pennae homines sectanda relinquant vestigia? dum nos telis nullis petimus auctoritatem antesignanorum vestrorum, cur Patrum nostrorum fidem virulentis vos globis configere satagit? porro aegre quidem inducor, vt meminerim, ad infringendam tamen eorum audaciam, qui in nos liberius saeuunt, meminisse debeo ingentis illius praeiudicij, quod e delectu Religionis du-




Etum libera quidlibet audendi potestas , multis inter  
vos charissima, torquet in Pontificem Romanum, dum  
imagini illius faciem auritam subrustica temeritate  
impulsi adpingunt, atque probroso Cacodaemonis,  
et Antichristi nomine adficiunt, vt ita iniecto  
tempestiue in animos filiorum horrore Catholicae  
Religionis , iuratos eiusdem hostes illos efficiant.

An non funestum istud , et in nulla hominum  
societate tolerandum scribendi , ac sentiendi ma-  
lum est ? an non detestandum libertatis artificium ?  
quis , obsecro , est in orbe eruditus ? qui nefan-  
dum istud publicos , summosque Reipublicae ali-  
cuius Principes calumniandi facinus probet ? i-  
gnorare eum profecto oportet , vel obuia politi-  
cae principia , atque regulas humanae prudentiae,  
denique et illud Diui Pauli : *Reddite ergo omni-  
bus debita : cui tributum , tributum , cui vectigal ,  
vectigal , cui timorem , timorem , cui honorem ,  
honorem.* Quorsum vero tantus error , audacia ,  
et temeritas cumulatur ? nempe vt in apricum ad-  
ducatis tandem libertatis in philosophando effe-  
ctus , odiique , quod ad tuendam illam vos incen-  
dit , flamas manifesto iam , summaque cum per-  
nicie accendatis . Haec profecto nec humanitas ,  
nec ratio , nec aequitas , nec Philosophia vlla est !  
Enim vero Philosophiam non arundini , quae mo-  
tu venti agitur , et flectitur , similem esse conue-  
nit ,

nit, non saeuire in alium quemquam oportet, non ita sentire decet, quemadmodum suscepitis aliunde opinionibus suis patrocinari se posse, videt; verum, et certa constituere principia, iisque singula ratiocinia conformare, et solam, atque vnicam veritatem consecutari, cuius gratia quascunque demum opiniones, au&toritates, praeiudicia, et honores despiciat, necesse est, toties, quoties horum causa illam periclitari oporteret.

Haec quoniam desiderari in vestra philosophandi libertate luculenter videtis, vel hoc vnicum aperte commonefacere potest vos de importunis, nexus certo destitutis, ac proinde erroneis ratiociniis, neque aliud video supereresset, quam vt orem vos, ac obtester, vt exuatis tandem frontem illam effroenem, qua tam contra omnem sanioris orbis morem in propria causa iudices agitis singuli, quam fuco, liuore, et commotis in nos studiis pleni, soliusque libertatis vindices de fide, et felicitate nostra perperam decernitis. Vtinam tanti criminis, ac detestatae libertatis locum amor mutuus, et communis felicitatis studium in animis vestris occuparet! utinam nullam humanae felicitatis partem ita adfetaretis, vt omnes alios eadem carere velitatis! sanc cum lachrymis recordor eorum, quorum alii frigido nimis pectore Catholicam Ecclesiam audiunt, alii cautis, pro-



beque simulatis vitae, ac gestorum artificiis eiusdem instituta mentiuntur quidem, viperas tamen subinde in sinu gestant, alii securis passibus in auaia, et deuia discedunt, alii totam religionem in sola honestatis consecratione sibi ipsis praefigunt, alii denique apertis ausibus mala maxima scribunt, intentantue: id quod in effroenem cogitandi libertatem effusis hominum ingeniis tribui debere, non vanus auguror; rationi enim, regulis prudentiae, Criticae, ac humanitatis tanti malii causam dari non posse, vel propterea mihi persuadeo, quod siue ratio, siue critica vnicam esse posse Religionem Diuinam doceant, quandoquidem fieri non possit, ut Deus sibi non constiterit, dum edocuit homines modum, quo coli vellet.


### PHILOSOPHVS.

Pene Theologum me fecisti, amice! nam ego sicut ignoraui adhuc, ita vehementer demiror nunc, facundis adeo probris delectari posse intellectum vestrum in Theologia, quam ego diuinam semper veneratus fui scholam. Coniecisti in aures meas conuitia, quorum rabies pene immemorem te reddidit, an cum Philosopho, an cum Haeresiarcha, nescio, quo sermonem habeas. Evidem si in eam incidere cogitationem potuisse, ut saevis adeo iaculis opus fore, crederem, amoenioribus deditus meditationibus aut amicum Philosophiae

phiae e vestigio sequi , aut penum meam philosophicam priuatus lustrare , subinde etiam locupletare maluissem , quam tecum arenam ingressus delitigare , ac probris , quorum recordatio dedecet peccus candidum , adfici . Dolor , aut fortasse melius dixero , pudor est , eruditos colloquutores aut puerorum instar , quorum victoria scommate stat , in conuitia incidere , aut eorum instar , quos impolita sciendi gloria vicit , in rem honestis auri- bus inuisam , voces , et cogitationes torquere .

### T H E O L O G V S .

Rem mihi cum Philosopho esse , probe intelligo : loquutus quidquid sum , ad libertatem philosophandi pertinet , vel enim e genio vestro vim ingenii libere tentaui , vel quo effectu usurpetis libertatem in Philosophando , recensui ; atque si forte iis te occupaui , cognitionibus , quae nullam mouent voluptatem , tempestiue videre , ac condemnare potes tu ipse methodum philosophandi , quam proponit mentibus humanis libertas . Quod ad probra adtinet ; probrum sane nullum dixi , nisi e vestris principiis ratiocinari , vestroque more loqui , probrum putas . At at , commotis frustra agemus animis . Tametsi , vt tibi quoque cedam , in vniuersa eruditionis capita non extendam Ecclesiae auctoritatem ; certo tamen quodam modo influere illam conuenit in argumenta physica , medica , r.



id quod ne temere dictum a me , aut minus recte intellectum a te sit , rursus egrediar tantillum colloquii nostri limites.

Substernenda existimo Ecclesiae iudicio profanarum scientiarum capita : 1. Quoniam opiniones Philosophicae vario , ac saepe contrario modo habere se possint , euenire facile potest , vt hoc potius , quam alio modo accepta opinio euidenti Sacrarum Litterarum testimonio , indubitatoque Religionis Dogmati contradicere videatur : quo posito necessarium alioquin erit , ab Ecclesia in examen illam vocari . Quia vero determinari nunquam potest apud vos , quae , et quo sensu intellectae opiniones habeant periculum , nam et de placitis vestris constantes perstrepunt dissensiones , ideo aequissimum est , vt Ecclesia in singulis inuentionibus , et cogitatis vestris iure , auctoritate que summa iudicem agat , non , vt videat , num ea philosophandi regulis , hypothesium explicationi , statutis ratiociniorum principiis , inter effetus , et causas proportioni , receptisque seuerioris Matheseos theorematibus consentanea sint , sed vt decernat , an genuino diuinarum Litterarum sensui , ac intemeratis fidei articulis nihil aduersum , periculosumue comprehendant . 2. Si verba Sacrarum Litterarum , traditio Apostolica , et vna totius Ecclesiae consensio apertis verbis doceat quidpiam ,


dæana-

◆ ◆ ◆ ◆


damnandae erunt opiniones Philosophorum, nisi cum vnanimi eiusmodi doctrina consentiant. Veritas enim adeo simplex est, vt quod in Schola Christi verum est, falsum illud nec in Philosophia, nec in arte critica haberi possit. Quapropter dabis mihi Philosophus: duo esse genera sententiarum, quae Religionem corruperint; alia nempe *directe*, alia *indirecte*, in utrumque genus animaduertendi potestatem negari Ecclesiae non posse, luculentum est, quamquam in reliquis non esse operae pretium, vt eius autoritatem requiratis, indulgeo.

### PHILOSOPHVS.

Lubens adnuo, illud tamen tueor: gaudere nos plena potestate interpretandi mentem nostram, dogmatisque sensum proprium quaerendi, ac exponendi, denique ambiguas opiniones nostras cum eo conferendi, vt perspectum fiat, an? et quo sensu consentiant, pugnentue cum dogmate, et bonis moribus? enim vero saepe fit, vt rationes e profanis scientiis ductae longe plus perspicuitatis habeant, quam verba Scripturae Sanctae, ubi fieri disquisitionem, ac conciliationem, iustae criticæ regulæ requirunt. Huc spectat: esse, et semper fuisse diuersas populorum dialektos, idiomatum proprietates, quae profecto iam metaphoris, iam tropis, figuris, similitudinibusque inuol-



uerunt textum diuinæ Scripturæ; latentem itaque verum sensum detegere, humanis ingenii relictum est, istud si fortasse aliter se haberet, ne Theologicae quidem Scholæ multiplicibus vñquam scatere coepissent commentariis, atque distinctionibus. Quis est hodie Philosophorum, qui non intelligat bestiarum animas ratione destitui? prima vero corporum elementa omni prorsus sensu carcere? subinde quae est Theologorum schola, quae nesciat, tribui in diuinis Litteris et rationem brutis? et animam elementis? certum ergo hinc fit: opus esse expositione metaphorarum, troporum, atque figurarum, ne id, quod recta ratio, et lumen humanis mentibus inditum agnoscit, diuinæ Litteræ euersum ire videantur; quippe ne in iis quidem reperiri potest quidpiam, quod rectae rationi consentaneum non sit; tametsi abundant plurimis, quae vim humanae mentis, aciemque superrent ingeniorum. Quid existimas de illis diuinarum Litterarum verbis, quae seuero licet critico rum examini pateant, nullum tamen inde Religio metuerit detrimentum? profecto disceptare: an Quirinus vñquam praefuerit Syriae? an census imponendi causa fuerit Roma missus? an descrip<sup>t</sup>io Vniuersi iudea fuerit, priusquam Quirinus in Syriam demigraret? nihil periculi habet.



## THEOLOGVS.


Do tibi, opiniones philosophicas, historicas, et quascunque profanas, si nihil ex iis Religioni aduersum erui possit, aut cum notissima eius doctrina facile concilientur, necessarium haud esse, ad Lydium hunc Iapidem reducere. Interim ratio, Philosophia, et quaecunque scientiarum vestrarum argumenta ita subiicienda sunt diuinis Litteris, ac Traditionibus, vt si fortasse difficultas quaedam orta fuerit, illa ad harum sensum reduci, haec nunquam cum placitis vestris componi debeant, vt veritatem definitam consequantur. E enim vero rationem fidei, non fidem rationi cedere oportet, nisi putas, aliam esse Theologorum, aliam Philosophorum, aliam Dei, aliam hominum veritatem.

## PHILOSOPHVS.

Papae ! vinxisti auream illam *in philosophando libertatem*, cui in acceptis referimus seu portento similes Newtoni inuentiones, seu Volffios, Leibnizios, Galilaeos, seu natam porro ex horum industria scientiarum perfectionem.

## THEOLOGVS.

Cur non commemorasti Voltairos quoque, Rousseunes, Hobbesios, Heluetios, Horosque ? quorum singuli scientiis, moribus, et Rebus publicis




blicis tot, tamque detestanda mala pepererunt ingenii libertate. Cur non commemorasti ingentem quoque illam scolorum cateruam, qui velut agmine facto ex schola libertatis in orbem litteratum effusi, corrumpendis iuuenum nostrorum animis diligentem quaquauersus dant operam. (Differui de conatibus scolorum, atque pernicie, quam bonis artibus adferunt, nuper in *Sermocinationibus criticis* anno 1779. editis Pestini fol. 3. 4.) Cur non suscitasti memoriam Cynicorum? nam hos quoque cogitandi, ac philosophandi libertas produxit, ac legibus, et meliori vitae disciplinae infensos effecit.

### PHILOSOPHVS.

Immo vero horum libertas emolumento maximo fuit seu cognitae scientiarum dignitati, seu morum, Religionisque regulis firmatis: nisi enim horum sagacitas perspexisset, quid obiici, vel dubium haberi possit in Religione, quid nondum firmum, vel emendatum in scientiis, ac moribus, nunquam in eam lucem, ac euidentiam adsurgere potuissent, in qua collocatae florent iam seu scientiarum partes plurimae, seu Religionis verae momentaque capita magis obscura. Non ne ingenia, quorum conatibus egregios hos labores, confutatosque tantorum virorum ausus debemus, tacitis hu-

huius modi igniculis non excitata , aut in otio , aut in occupationibus non egregiis delituissent ? Libertas igitur , et audax in periclitando , cogitando , et scribendo studium tam perficiendis ingeniis , quam scientiarum omnium dignitati comparandae maxime idoneum est instrumentum . Et sane , si tuo singula stent arbitrio , magistros scientiarum omnium meros Theologos esse oportebit porro , qui neque audaculam promant opinionem ipsi , neque publica luce donari patientur , si quidpiam inuito excidat calamo aliis . Nos enim partibus ingeniiorum nostrorum inescati , vix , aut aegre aliquando videre possemus , quae opinio in nostris enata scientiis , vestro conformis sit arbitrio ; deinde vos vel in scyrpo nodum quaeritis , nos positis principiis claris , distinctisque ducimus seriem omnem laboris , ac doctrinae nostrae , in definiendo accurati , in iudicando circumspetiti , in demonstrando rigidi , atque ordinis tenaces esse satagimus , neque unquam aliorum gratia probamus id , quod regulis veritatis , atque methodi philosophicae aduersari videmus , ut proinde quidquid seu lumini naturali , seu praestitutis principiis apprime conuenire deprehendimus , illud securè defendamus , nunquam solliciti , an id genus meditatione ditiones vestras ingrediamur , populemurue : immo ne fieri quidem istud a nobis posse arbitramur , quoniam , ut paullo ante dixisti ,

nun.



nunquam verum aliquid est in vno scientiarum generi, quod in alio falsum esse iudicatur.

Denique, res mira! vos summam in cogitando, commentando, et scriptis damnandis libertatem habeatis, quorum notiones singulae, atque iudicia diuinis verbis, et sanctissima Ecclesiae auctoritate vinciuntur, nos, quorum studio, et disputationibus tradidit Deus orbem vniuersum, ac naturae opera omnia, nihil in horum indagatione usurpemus libertatis? Quorsum, obsecro, tanta in vobis potestas? num emendare, an aliter statuere vultis id, quod Deus, et natura sanctissime posuit? si nefas istud, et in Auctorem naturae scelus horridum non est, equidem nihil video, quod sceleri dandum homini sit: nam ego plantatos in animis hominum adfectus, tamquam opus diuinum, ab omni naeuo absoluvi arbitror; proinde emendationem, nescio, quam in eo adornare velle, incredibilis audaciae, temeritatis, immo et formidandae malitiae argumentum est.


Interim vide, vt humanus sum! largior tibi, posse libertatem ingeniorum certo quadam fulcro temperari, notionemque eius, haud inamoenam, ita tibi opportune a me depingi patere: sit liberum cogitare, scribere, et cogitata typis vulgare; constituantur subinde censores, e diuersis vi-

tae

tae generibus, qui edita, vel prelo submittenda  
 eruditorum opera graui iudicio perueluant, quid  
 incommodi, ac prauitatis complectantur, indig-  
 tent, vetare etiam possint librorum eius modi com-  
 mercium, qui pestiferum virus continere, PRIN-  
 CIPIS aequitatem, Religionis Sanctitatem, et  
 Dei Maiestatem laedere videbuntur. Absit tamen,  
 ut poena decernatur in Auctorem, qui opinionis  
 instar ad disceptandum propositae elucubrauerit  
 opus, neque doctrinam, alioquin moribus perni-  
 ciosam mordicus tuitus fuerit; quippe secus nemo  
 uspiam libere scripturus est; quandoquidem nulla  
 vñquam ingenii acie, et hominis prudentia exhau-  
 tiri possit, quid cuique probetur. Sapientissimum  
 est AVGVSTI PRINCIPIS consilium, quo  
 scribendi, ac cogitandi libertatem prouehit qui-  
 dem, ne tamen infrunita quadam temeritate macu-  
 lentur chartae, ac sine solidis principiis vulgen-  
 tur, animosque rudium iuxta, atque scolorum  
 ducent libera scribentium cogitata, censorum ar-  
 bitrio substernenda illa decernit, immo editos  
 quoque alibi libros, priusquam robur in medio  
 vitae obtineant, erecto censorum collegio propo-  
 ni vult.

### THEOLOGVS.

Iniuria est, adserere ita liberaliter, summa  
 nos vti, vel usos vñquam fuisse libertate! an ge-




nus Doctrinæ Catholicae aliquod immutatum a nobis est aliquando? aut proprio excusum cerebro, explicatumue solo arbitrio?

### PHILOSOPHVS.

Egregium mihi porrigis argumentum. Quandoquidem seueri admodum scientiarum iudices esse coepistis, posteaquam ex infelici illo interitu redire licuit litteris, omnia partim Platonicis, partim Aristotelicis principiis, aut Scotisticis argutiis, aut Thomisticis scholis conformia esse voluistis, hinc et Grammaticam, et Philosophiam, et Theologiam ipsam aridissimis distinetiunculis, et inutilissimis quaestiunculis repleuistis, tandem scientias omnes Theologicis subselliis ancillari iussistis, atque id praestitistis, ut nec philosophicum aliquid, nec pure grammaticum, theologicumue ea aetate haberi potuerit. Quoniam Aristotelem, Platonem, Scotum, Thomam, et magni nominis Philosophos iuxta, ac Theologos alias summo imperio praefecistis bonis artibus, vna diuinorum, ac naturae operum censores eos iussistis: sicut ergo enasci oportuit audaces concertationes, subtileisque Sanctorum Textuum interpretationes; ita Sanctorum Patrum Doctrinam nunc philosophicam, nunc theologicam euadere, immo et Ecclesiae definitiones in vnum chaos commigrare necesse fuit. Inundarunt porro omnem fidei doctrinam multiplices, et

sae-




fæpe pugnantes etiam quaestiones adeo, vt quid Deus, quid Ecclesia, quid Religio pro intemerato dogmate, quid natura pro stupendo opere suo proponat, haud infrequenter ignoratum fuerit. E litibus, atque integumentis huius modi scissiones, demigrationes, atque haereses consequutae sunt.

Nempe, quoniam in tanta sententiarum confusione certum pedem figere nuspian potuerint summi ingenio viri, immo viderint, nec arbitrio Theologorum deferri posse ob effraetos Graecorum, et Alexandrinorum Philosophorum cancellos, nec priscis Philosophiae placitis suam constare iam integritatem ob Theologorum interpretationes, media ituri via libero agere ingenio, ducem rationem sequi, ac pro lubitu decernere cooperunt. Haeresiarchas omnes non Philosophia, non libertas, sed litibus natum, et aculeis diues imperium vestrum, inconstansque, ac mordax interpretandi studium primo motu praecipitauit, viam deinde monstrauit excusso non immodice rationis iugo libertas. Candorem hunc in te quoque requiro.

### THEOLOGVS.

Late admodum, et cum studio nocendi extendis receptum in scholis nostris vsum explicandorum Sacrorum Textuum, quem nos nunquam



libere, nunquam solo Iubitu, semper auctoritate Ecclesiae muniti facimus, et quidem tunc vnicē, quum evidētia veritatis ex humanis, et mere profanis scientiis natae solo lumine naturali constat, verba vero diuini eloquii posita illa perspicuitate absurdum aliquid praeferre videntur. Ne ergo aut diuinārum Litterarum infallibilitas, constantisque in Ecclesia Traditionis integritas per evidētiam luminis naturalis labefactetur, aut recta ratio in suis iudiciis per consequentes paradoxas e Sacris Litteris nascituras euertatur, a sensu litterali ad figuratum abscedimus, ita prorsus, uti et vos ducat libertas in tanto hypothesis, et opinionum confictū.

### PHILOSOPHVS.


Itaque si iustum est, quod quereris, sicut nos nostra in interpretando libertate grandia perimus morum, et Religionis pericula, ita et vos eodem condemnandi estis criminē.

### THEOLOGVS.

Minime. Nam dum vos de proprio cerebro sumitis vestrarum seu opinionum, seu sententiarum interpretationem, tunc nos ad collatam a Deo Ecclesiae adcedimus decernendi auctoritatem.

## PHILOSOPHVS.

Pacatam nempe hanc, et in moderamine censendarum opinionum philosophicarum diuina quamquam Auctoritate temperatam animi passionem, in que conatibus nostris examinandis aciem vestram luget Cartesius in Epistola sua ad Voëtium, Theologum Ultraiectinum, Atheismi eo duntaxat e capite damnatus, quod existentiam Dei non vulgaribus tunc, sed noua ratiocinandi methodo propositis tueretur argumentis; Luxit Campanella inustam sibi eiusdem criminis suspicionem illorum arbitratu, qui magnis ingenii motibus aduersus cultores libertatis in philosophando praeliari consueuerunt, Iuxit cum innumeris aliis Galilaeus a Galilacis, immo ne hodie quoque tuti satjs sumus a telis vestris, tametsi nihil, quod nativo humanae mentis lumini, ac stabilitis sapientiae principiis aduersum est, in argumentum aduocemus. Ego ita mihi persuadeo: nunquam diuini fuisse consilii, mortaliū aliquem infallibili Reuelatione profanas edocere scientias, relicta sunt autem earum argumenta hominibus libere, vt in iis probe versati sic aut aliter sapiant, vel desipiant. Quare audeo dicere, grauissimam fieri iniuriam Deo, Beneficentissimo naturae Auctori, et simul humanae menti toties, quoties ademta cogitandi, ac ratiocinandi libertate in carcerem detrusam illam vult aliquis. At, nolo in argumentum colloquii deposcas istud



amice! vereor enim, ne vel inuiti eo progrediamur, vnde emergere nequeamus.

### THEOLOGVS.

Et tamen temeraria audendi libertate non pauci e castris vestris eo progressi sunt, ut Religionem vulneribus maximis adficerent, cuius mali primordia ita breuiter, si pateris, edocebo. Incredibili quodam cognoscendarum rerum desiderio incensi homines, eo ipso tempore, quo occultas rerum naturas perspicere diligenter tentarunt, audaciam simul iniuerunt de iis quoque rebus dubitandi, quas certas iam, et demonstratas habuerunt; studium istud, libertate partum incertitudinem cognitionum, scientiarum, et principiorum adulit, hanc immensa quaedam litium, et aestuosissimarum concertationum moles consequuta est, principiorumque omnium, quae totidem praesidia sunt scientiarum, instabilitas, et oppressio: denique quid aliud? quam detestata in sentiendo temeritas, atque errorum vis oriri debuit? Vendicata porro a singulis maiore veritatis ratione itum est ad lites, et quia singulos ingens quaedam habuit ambitio, successit demum liuor, qui omne aemulorum meritum tollere satagebat; hinc iam nil sane aliud, nisi aeterna odia, et inimicitiae coortae sunt inter eos, qui veritatem docere, atque demonstrare debebant.

Furor hic concertandi, primosque honores,  
 et gloriam nulli aemulam arripiendi genus omne  
 hominum inuasit; proinde Religionis etiam san-  
 ctitatem ad silentium redigere tentauit, id quod a-  
 lioquin non potuit non esse malum maximum, et  
 vulnus inconsolabile. Perspicis, amice! acuto,  
 ut es ingenio, quid animo voluam, ut etiam de  
 interpretandi potestate tibi reponam. Non ita  
 tribuo illam nobis, ut vobis prorsus auferam,  
 praesertim in iis argumentis, quae dogma minime  
 spestant. At reduco simul in memoriam mihi,  
 studio, et potestate interpretandi abuti saepe vos  
 ad vanissimas, et non honestae eruditioni seruituras  
 quaestiones, idque tandem efficere, ut Sacra pro-  
 fanis misceatis. Pace tua dixero: ingens demen-  
 tia est, nos, quibus Religio, studium cultus diuini  
 promouendi, ac munus morum conseruandorum  
 praecipua quadam ratione cordi esse debet, velle  
 in angustissimos audendi limites constringere, vos  
 sine ullo seu rectae rationis, seu prudentiae hu-  
 manae froeno cogitare, scribere, ratiocinari.

Hominem ego, sit Theologus, Iurisconsultus, Hi-  
 storicus, Mathematicus, Armiger, ruricola nunquam  
 sine sensu humanitatis habendum iudico. Ad aras re-  
 primi nos libere phisophantibus vobis, quid aliud  
 est? quam e prouincia sanae Philosophiae egre-  
 di, nimioque sui amore abreptum grassari. Me



Hercule! nescio, quomodo consentiat cum recta Philosophia, dandam esse humanis ingenii liberatatem cogitandi, at ii duntaxat illius capiant usum, qui in verba, opinione, ac hypotheses vestras iurauerint, haud fuerit autem permisum eius commodum quibuscumque aliis, qui fortasse a vestris sententiis libero passu discessum meditantur.


### PHILOSOPHVS.

Amicissime Theologe! stomachari me oportet, nisi Philosophus essem. Numquid indulgendum censetis ingeniorum vestrorum felicitati in veneranda Scripturarum eruditione? ideo enim celeberrimos, et immortali memoria dignos putatis Calmetos, Cornelios, Tirinos, et plures alios interpretatione diuini Codicis conspicuos: cur igitur querulamini, fieri ingenii nostris libertatem quaestionum, Argumentorumque e Politica, Critica, Physica, Medica, Historia, Mathesi, et quibuscumque scientiis profanis seu elaborandorum, seu in examen vocandorum? cur desideratis eadem multari nos? orbemque eruditum? an non iure ad id agendum incitandi estis, quod diuino Oraculo iniunctum vobis est: *Potens sit exhortari in doctrina, et eos, qui contradicunt, arguere.* Hic vincite, hic captiuate intellectum vestrum, finite vero Politicum, Criticum, Historicum, Iurisconsultum feruere ingenio suo in perficiendis sui

edie-

obiecti scientiis. Quid adtinet, obsecro, scire, aut definire vos, quae sit coelorum materia? quae planetarum orbita? num sol circa tellurem, aut potius hacc circa solem annuo motu conuertatur? num Romani ad Cannas, Hungari ad Moháts vieti aliquando fuerint? quid incrementi capessuerit Religio, si omnium prouinciarum, familiarumque ortum, et progressum noueritis, ac nescio, quo infallibili iudicio decreueritis, immo et Regnum Philosophicum vestro fuerit ore loquutum? Quid certitudinis? quid securitatis consequuturam fidem speratis? si asperrimas syllogismorum figurās, modos, usumque omnem aboleatis, aut confirmatis?

Contueminor Mosem, Prophetas, et Apostolos, profecto in tota illa diuinarum Reuelationum collectione nihil huiusmodi adtigerunt, aut infallibiliter tenendum voluerunt, sed nec vlla pars Sacram Litterarum definit aliquod Physicae, et Matheos Theorema. Sane quoties recordor, miseret me fatorum, quae subire oportuit Philosophiam, demiror, ac prope indignor primis seculis iterum, iterumque exules Roma factos fuisse Philosophos, aut minis, iusionibus, et potentia eo adductos, ut ingenia, rationes, opinionesque suas omnes efflorescenti tunc potentiae substernant. Vtinam probe edocta fuisset aetas illa, Philosophum nunquam alieno stare



posse iudicio , sed vnius veritatis rationem habere debere in eligendis sententiis.


### THEOLOGVS.

Quantopere patiamini nos , in verbis diuinis Euangelii exhortari vos , aperte docetis : nam , vt in doctrina fidei , morum , et officiorum erudimenti , tanta frequentia considere soletis in Ecclesiis , vt rudi vulgo , atque natis lare paupere vix locum relinquatis . Loquuntur istud ; immo admirantur parietes ipsi Templorum ; tanta nimirum in animis vestris est libertatis progressio ! taedet vos eorum , quae Religionem , morum disciplinam , et libertatis froenos sapiunt , immo Iudus , fabula , et comica scena vobis est , quidquid pro Sacris Rostriis dicitur , arbitramini fanaticismo , entusiasmo , pedantismo , et mille praeiudiciis , atque superstitionibus plenum esse hominem , qui ad sacras id genus functiones destinatus pro dicendo adsurgit , vel sacrificat , atque in audacia , et libertate hac sentiendi incredibilem quemdam humanae eruditionis thesaurum poni existimatis . Nefastam cogitandi temeritatem ! nos ergo sumus , quos non cordis prauitas , non morum barbaries , non mentis ruditas , non animi immanitas , non scelus , non ignorantia , sed vnicus amictus *pedantes , fanaticos , et entusiasistas* effecit ? non adducam libros , scriptaque , quibus celeberrimis ora-

tori-

toribus nostris publicam iam inussistis infamiam,  
sit istud *alta mente repositum.*

Quod ad interpretationes, immortali gloria donatas adtinet, ita censeo: oportuit aliquando hac vti potestate Ecclesiam, Custodem Religionis verae; quemadmodum summa illi adhibenda est hodie quoque vigilantia aduersus conatus vestros, qui nimirum pro praecipuo exercendae libertatis eruditionis, ac Philosophiae vestrae obiecto Ecclesiam p[re]ae oculis posuistis, ipsamque immiti vulnerum magnitudine confodere paratis, mentiti lenocinium, quod prisca illius vulnera studio expurgandarum superstitionum velitis lenire; subinde vel inuiti Religionem ipsam oppugnatis, vt sublata Christi diuinitate eamdem euertatis. Excepit nuper querelam honestissimae inter cines matronac, super marito suo, qui tametsi toto vitae tempore exemplarem, et Christiano homine dignissimam teneret viuendi normam, lecto tamen Eibeliano *de confessione Auriculari* opusculo, fortissime definiuit in animo, nunquam se porro Sacrum hoc Tribunal aditurum; coniugem hoc proposito in lacrimas coniecit, communeque toti domui scandalum praebuit. Non est, non, nec esse potest obiectum libertatis soluta morum disciplina, et infraacta dogmatum fides: abutimini sapientissimo AVGVSTI PRINCIPIS consilio, qui ad




amplius bonarum artium incrementum, ad felicius quoddam ingeniorum commodum, et felicitatem communem aperit humanis mentibus scribendi, atque cogitandi libertatem. Eam ergo si tantopere vobis vendicatis, vtimini, sed ita, quemadmodum et recta ratio, et prudens vitae usus, et salus publica postulat, immo et sapientissimum optimi PRINCIPIS institutum requirit; nempe, vt artes omnes, ac scientias nouis conatibus, novo examine, nouaque facie illustretis, ac perficiatis; vt publicam ciuium salutem, decus, et incolumitatem Reipublicae, gentis denique, ac animalium ornamentum excellenti quadam ratione cumuletis.

Abstinete ab arguendo ritu, quo diuinos adhuc honores peragere sueuimus; cohibete mordacem ab iis calamum, quae acie humanae mentis excelsiora sub altissima fidei pace immota ab exordio suo quiescunt. Videmini enim haud modico periculo vestro suaue, et amabile libertatis meritum in eo reponere, vt quae Deus Reuelationis suae arcana esse voluit, ea vos infrunito ausu penetrare, et quia comprehendere non potestis, negando, cauillando, atque liberis coniecturis agitando euertere satagatis. Reducite vobis in memoriam, quanta manserit obscuritas, incertitudo, immo et falsitas saepe, ac iterum ratiocinia, principia

cipia, et meditationes vestras in argumentis philosophicis, quam errorum molem existimatis futuram, si eadem ingenii vi pergatis scrutari Mysteria fidei? Me certe non patiuntur ignorare Annales Philosophiae, de cerebro Philosophorum, aestu imaginationis correptorum, siisse profectum, quidquid in omni retro aetate, aut hodie audax nimis, et amentiae simillimum possumus experiri.

Pauca, immo fere nulla sunt systemata in Scholis vestris, ab omni praeindicio, et errore immunia: placet intueri *Vorticem* illum, quem Renatus Cartesius sola depinxit imaginatione? theatrum est, in quo mens imaginationis ardore correpta scenicos agit ludos; placet *Theoriam* illam Astrorum in conspectum adducere, quam celeberrimus Newton summo cum plausu nuper orbi communem fecit? *Apocalypsis* est; placet *Harmoniam praestabilitam* in examen vocare, quam superiore seculo florentissimus Philosophus Leibniz vulgauit? concentus musicus est; placet Curuam illam *Virium* periclitari, quam celeberrimus nuper Boskovich in arenam Philosophorum inuexit? delineata in aere moles est; placet nexus Mathezeos, ac dignitatem omnem contemplari? certitudo est, suppositis principiis stabilita, quorum corollaria arcanam referunt Priscorum Philosophiam. Quapropter commonefactus tandem de incredibili humanae mentis imbecil-



becillitate, percusus vna erroribus celeberrimorum Philosophiae Statorum, vide amice! an non rectius exclamaueris: proh insignem humanorum ingeniorum vanitatem! proh reconditam arcanorum naturae abyssum!

Ego sane securius quieturum, ad communem tamen Reipublicae felicitatem longe amplius ensurum me confido, dum conatus omnes, viresque ingenii publicae auctoritati substerno, quam, si tuis abreptus motiuis, aut securam in ratiociniis vestris aliquando reperiri veritatem adsentiar, aut insuetam prudentibus mentibus, quidquid cogitauerint, scribendi, loquendue libertatem consecter. Nonne nulla vñquam nominum aetas fuit, in qua libere philosophatae non fuissent mentes Philosophorum? nullam tamen iudiciorum suorum stabilitatem consequi poterant, quidquid seu magistri scientiarum inuenerunt, seu Principes constituerunt, infirmitati, ac erroribus obnoxium suisse, sequuta demum tempora docuerunt. Religio, cultusque deorum apud omnes fere populos super fabulis, et fanaticis ritibus erat exstruxta, dies festi seu priscorum, seu hodiernorum risum mouent peregrinis, spectatum admissis, superstitiones, et praeiudicia, quibus niti videbantur Imperia, omnium pene animos obsederunt, Reges ipsi vix legem, aut consuetudinem firmis adeo ful-



fulcris vnquam stabiliuerunt, vt nepotum  
imperturbatam reliquistet.

Homines singulis seculis praeiudiciorum, atque errorum mancipia fuerunt, existimas igitur, ab hac omnium hominum, et temporum forte aut te, aut aetatem tuam posse absolui? miseret me fane tui, si proprio amore, ambitione, ac seculi praefidentia, mentisue acie victus tantum tibi, ac tempori tuo blandiris, vt aut omnem hominum, qui tuis non fauent consiliis, societatem desipere, aut te non eadem, qua ceteri fati sunt, conditione natum putas; miseret me tui; si nullo prorsus humanitatis officio in priscas aetates, hominesque illos, quos sors meliori sede locauit, ferri te oportere arbitraris. Subinde, noli credere, luculentum te philosophici pectoris exemplum dare, quum in eos, qui Religionis praesertim gloria eminent, omnem torques Philosophiae tuae potestatem, ac libertatis meritum. An collubescit, me, collegasque studiorum meorum reos agere, quod incrementum litterarum moremur, culturam mentis cordi non sumamus, scientias omnes aculeis, nescio quibus, inspergamus, praeiudiciis quotidianum praebeamus argumentum, rude vulgus ignorantia, et superstitionibus traducamus? Huc ergo libertas philosophandi euolabit? haec, et his similia erunt adfectatae libertatis ornamen-  
ta?




ta? nos longe aliam videmus rationem potestatis, qua ingeniis vti liceat in cogitando, et scribendo: prudens, maturus, et bono communi, saluti ci- uium, ac publicae tranquillitati conseruandae idoneus illius usus erit ratio sana, quae et in Philosophiam, et in artes, ac scientias omnes opportune inuexerit libertatem ingeniorum, huic si conformem effeceris sensum libertatis porro, me, Theologosque omnes nunquam a vobis dissensu- ros, scito: enim vero, sicut quidquid agimus, prudenter agendum est, ita libertatem humanorum ingeniorum singulari cum cautela usurpandam esse, me tacente perspicue intelligis.

Neque nouitatis loco istud accipe; immo po- pulis multis in more fuisse sciendum tibi est, ca- uere omnia, quae teneram, et indoctam adoles- centiam prauis moribus corrumpere iudicabantur. Opportunum est, recordari sapientissimam egre- gie cultorum populorum consuetudinem, qui di- ligentissime curarunt, ne cognita reddatur venus adolecenti, donec fieri posset, quae cura quo consilio suscepta fuerit, facile viderit, qui tristis- simos euentus in eorum animis perspectos habet, quibus ad omnem familiaritatem, mutuam necessi- tudinem, lasciva exempla, mores, et sermones libera via fuit aperta in adolescentia. Prosesto non potest aliud, quam lugubris morum corrupte-

la exspectari, si adolescens, cui nullus adhuc iudicij usus, nulla prudentia vitae, nullum boni, atque mali discrimen, nulla periculi cognitio patet, libero pede, manuque, et mente libera contrectet, quidquid lubet, et arridet. At at! memini friuolae, quam praetexitis, causae, vanum nempe, ac superfluum esse, arcere puerum ab eo, quod alioquin exercere eum oportebit porro; istud si tanti ponderis vobis est, ut in libertatem prehensa manu ducatis innocuam aetatem, cur, obsecro, nouaculam tempestiue non datis in manum puero imberbi, ut in genis eadem lusitet nunc, paullo progradientibus annis opus ea habiturus? nouacula vulnus figere potest in genis, libertas in animo. Sexuum coniunctionem aetati certae, ac iudicij plenis annis conseruauit natura, ne vitae dies imprudenti veneris usu breuiores efficiat puer; haud aliter libertatis quoque usum in eam aetatem reposuit eadem natura, in qua et ratio passionibus legem ponere nouit, et perniciem a portu salutis discernere.

Cur dantur morum magistri tenerae aetati? fortasse, ut in morum licentiam, et effroenes libidines ducantur pueri? at quid opus magistro ad id, quo natura nos alioquin dicit? reliqua est catellis bestiarum plena vis sequendi impetus animi lascivientis, eadem lege educandos existimatis



adolescentes? aut, si lege, educatione, ac institutione opus est, procul dubio libertas quoque ad ysum prudentioris aetatis prudenti cum cautela repponenda est. Experientia constat, hominem, qui debuit posse, abuti etiam potuisse sua potestate. Montesq. de l'Esp. I. XI. c. 14. Virtuti opus est iilimite, cur non *Libertati in Philosophando?* cauemus pericula inter ambulandum, tametsi gressus singulos libere figamus; cur igitur incautos nos esse oporteat in cogitando, vt libere semper cogitemus?

### PHILOSOPHVS.


Scio, quid occupertis, redire nempe vultis tempora illa, quibus acutiora hominum ingenia siue in philosophicis placitis, siue in Religionis dogmatibus aut parum utiles, aut omnino perniciose quaestiones agitarunt. Haec optimorum ingeniorum fata vicissitudinibus circumstantiarum adeo subiecta fuerant, vt id, quod hoc tempore insigne nomen, ac aestimationem peperit mentibus, fuerit argumentum ignorantiae tempore altero. Erat tempus, ubi coeca credendi facilitas nec vitio vertebatur, nec pro imbecillitate habebatur, ubi tantum ingenii habere, fuit licitum, quantum certo hominum generi visum fuerat probare; rursus impendebat tempus aliud, ubi singularis erat gloria, et mos, nihil credere. Denique inuestum

inter

inter scientias fuit saepe , ac iterum , nihil scire , nisi quod alius quispiam sciuit , nihil tentare , quod alius nondum pertentauit. Sed , virulentus esse non didici , mi Theologe ! neque omnia temerario ausu negare. Quapropter id iam a me ipso impetraui , vt , pace tua , rectius iudicem ab orbe eruditio exspectandum esse iudicium super colloquio nostro , neque recte satis acturos nos , si definiuerimus perfecte , an ? et quae libertas danda sit ingeniis. Vale Theologe ! atque industriam Philosophorum in excolendis hominum animis aequi , bonique semper consule ; iterum vale.

### T H E O L O G V S .


Vale Philosophe ! amice vale ! et , quod in argumento difficillimo verba tecum faciendi audaciam sumserim , pro philosophica animi constantia veniam mihi dato. Interim , priusquam diuella-  
mur , attentos vos esse cupio , vt auream in cogi-  
tando libertatem maiori pretio aestimetis porro :  
quid obsecro , meriti , quid dignitatis reponi pos-  
se putatis in exilissimis foliolis , quorum singula  
praeferunt quidem incautam scribendi libertatem ,  
at simul infelicissimae multorum hominum sorti stu-  
dent , venumque pauculis obolis exponuntur ideo ,  
vt in plures manus facile incident . Si tantopere  
tueri placet libertatem ingeniorum humanorum ,



cordi illud sumite , vt artium , et scientiarum per-  
 fectio , atque progressio , Reipublicae felicitas ,  
 gentis ornamentum , animorum coniunctio , ciui-  
 um tranquillitas , et mutuus in singulis amor sit  
 scribendi argumentum . Ex politam eruditionem sa-  
 pere vos , putatis , si ritus , et consuetudines Re-  
 ligionis , tonsa hominum capita , promissas barbas ,  
 lilia inter spinas acri calamo perstringatis ? Taceo  
 reliquam argumentorum seriem , ad quae libertas  
 vestra se iam exporrexit , vnicam *Monachologiam* ,  
 et *Horum ob oculos* pono , vtrumque si attente ,  
 ac sine praeiudicio fauendi tuis , seculique consue-  
 tudinibus pensitaueris ; profecto non modo prudentis  
 viri , sed ne honesti quidem ciuis characterem  
 in illis deprehendes ; immo cum rubore , ingenui-  
 tatis teste , ipse detestaberis turpem libertatis ab-  
 usum . Vbi sunt vasta , et systematica illa eru-  
 ditionis monumenta , quae et Priscorum sapientiam  
 splendore , ac dignitate sua antecesserint , et hodie  
 ad mores emendandos , ad artes excolendas , ad  
 scientias nouis adcessionibus cumulandas pertineant ?  
 ceditis nempe immortalem hanc gloriam paullo su-  
 perioribus seculis , pauculis ipsi folioli\$ contenti .

### PHILOSOPHVS.

Satis hoc mihi est , vt philosophico premam  
 pectore , praesertim cum intelligam , dominium  
 froenandorum ingeniorum e studio fauendi fuisse  
 in



in scholis vestris natum: nempe ut liuori, cuius flamas excellendi cupiditas aluit semper, medium aliquod poneretur, ad querelas itum coram illis est, qui potestate praeerant, hi cui parti fauere voluerunt, eam ab omni incertitudine, ac errandi periculo absoluuerunt, non, quia veritatem stabilitatis principiis detexerunt, sed ut querelis, et propendenti fauori satisfaciant, imbecillioremque opprimant liuorem. Leges ergo latae aduersus eorum conatus, qui statutam querelis, et confirmatam fauore doctrinae veritatem nouis porro quaestionibus turbare auderent. Vincta hoc modo ingenia humana tristem subiuerunt seruitutem, adeo, ut nec id dicere possent, quod verum esse deprehenderunt, ne moestas, et querelarum plenas decisiones euersum ire videantur, atque malo maximo mulcentur. Quapropter sicut indigneo prorsus nititur principio tota vinctorum ingeniorum historia, et sublata libertas; ita dignissimum, ac necessarium magnopere est, ut in cogitando, ac *Philosophando Libertas*, tamquam scientiarum praesidium, et veritatum columen reuiuiscat, sempiternisque auspiciis roboretur. Vale, iterumque vale.

O. A. M. D. G.